Programm

des

Gymnasium Fridericianum zu Laubach.

Schuljahr 1879—1880.

Inhalt:

De Juvenalis exilio, von Dr. Christian Strack.

Frankfurt am Main.
„Deutsche Reichs-Post", Actien-Gesellschaft (Buchdruckerei).
1880.

1880. Prog. № 532.

De Juvenalis exilio

quaesivit

Dr. Christian Strack.



memoria Rupertius et Achaintre tum his temporibus certissimis rationibus usus L. A. Reifferscheidius: Quaest. Suet. in: C. Suetonii Tranquilli praeter Caesarum libros reliquiis pag. 404 cf. 371, ut nemo iam obsoletam illam opinionem tueri possit. Quare ligna ego in silvam ferre nolo. Jam vero fuerunt, qui Georgii Vallae auctoritate adducti Val. Probum Berytium vitae auctorem esse iudicarent, cui opinioni novissimus, ni fallor, Val. Francke in libro, cui inscribitur: Examen criticum in Dec. Jun. Juvenalis vitam, Altonae 1820 accessit. Sed id iudicium non magis verum esse quam eorum, qui Suetonii vitam esse voluerint, nunc ab Osanno, Beitraege zur gr. u. röm. Literaturgesch. 1839, pag. 106—280 et ab O. Jahnio Prolegg. ad Persium pag. 136 sqq. subtiliter de grammatico illo quaestione habita omni luce clarius est. Probi enim illius cognitam nunc habemus aetatem. Nam Hieronymus in chron. ol. 208, 4, p. Chr. 56 vixisse eum tradit, Cassiodorus sub consulatu Marcelli et Aviolae a. u. c. 807, p. Chr. 55, chronicon Uspergense anno domini 59 claruisse refert. Neronis igitur temporibus vixit et eundem si Martialis epigr. III, 2, 12: „illo vindice nec Probum timeto“ dicit, id quod non est cur negemus, Domitiani quoque imperium vidit. Itaque illo tempore iam mortuum eum esse videmus, cum Juvenalis rhetoricis etiamtum studiis navaret. At unde Valla qui in praef. ed. Juv. 1486 sic scribit: „sane comperti mihi sunt nuper Probi grammatici in Juv. commentarii (eidemque postea vitam assignat) quantum adhuc audiverim, nulli alii cogniti sed mirae brevitatis . . .“ in Probi nomen incidit? Hic argutissimam coniecturam O. Jahnii l. l. pag. 112 laudare lubet. Is enim putat „Vallam usum esse codice, qui consueto more praeter Juvenalem etiam Persium contineret cum scholiis et vita de Probi commentario sublata, quae, si primum locum occupavisset, perfacile hoc nomen ad scholia transferre potuisset.“ Itaque etiam Juvenalis et vitam et scholia Probo tribuere potuit. Aliter res expediri nequit. Nam cum Probus Berytius*) Juvenalem tractare non potuerit,

*) De alio ac Berytio Probo fuerunt qui cogitarent, atque re vera huius nominis grammatici innumeri exstant, cum is esset posterioribus aetatibus grammaticorum mos, ut clara sibi inderent nomina. Neque tamen unus in eo numero invenitur, qui Juvenali explicando operam navaverit. Burmannus in praef. ad Verg. pag. 35 exstitisse censuit Probum quemdam grammaticis studiis deditum eundemque praenomine Valerii indicatum sub imperatoris Hadriani imperio; quam coniecturam etiam Achaintre secutus esse videtur, qui in ed. Juv. II. pag. 76 sic scribit: „hoc notarum genus alii Valerio Probo grammatico attribuunt alii Berytio grammatico.“ Sed alium Probum tum exstitisse suo iure Osannus l. l. pag. 109 sqq. (cf. ibid. pag. 262 et Lerschii rec. in Zeitschr. f. d. Alterth. 1840 No. 13 pag. 111 et Jahnium prolegg. pag. 136. adn. 1) negavit. Duos enim Gelli locos, qui ad comprobandam Burmanni opinionem allegari posse videbantur — I, 15, IV, 7 eodem modo, quo ceteros, quibus Probus laudatur — sunt autem hi: III, 1 (5); VI, 7 (3); VI, 9 (11); IX, 9; XIII, 21; XV, 30; XVII, 9 — ad Berytium referendos esse demonstravit. Atque etiam Steupius, qui in libro „de Probis grammaticis“, Jena 1871 duos eiusdem nominis grammaticos deinceps fuisse contendit, refutatus est a G. Teuffelio, Stud. u. Char. pag. 442—445, cf. Rhein. Mus. XXVII pag. 62 sqq. et 192. De ceteris huius nominis grammaticis adhuc nemo cogitavit.

Valla aut ipse in errore versatus est aut in errorem conicere voluit alios. Tertium non est. Sed quid de scholiis, quae in commentario Probi invenisse Valla sibi videtur? quae haud futilia et pervetusta esse apparet. Quid? si vita ad ea ita pertinet, ut eiusdem vetustatis et fidei sit? Nempe summa ei attribuenda erit auctoritas? Consideremus nunc, quae sit codicum scholiorumque ratio.

Vetustissima eademque optima scholia ad nos pervenerunt codd. Pithoeano (nunc Montepessulano) et Sangallensi et usque ad sat. VIII, 197 editione G. Vallae Is autem ex exemplari suo non universa ea expressit, sed passim commemoravit. Omnia ea scholia ad unum eundemque fontem referenda esse, facillime intellegitur atque si codd. Pithoeanum et Sangallensem spectamus, simplicissime ita explicatur, ut cum Jahnio Sangallensem ex Pithoeano plane exscriptum esse statuamus. Quae tamquam Probi Valla edidit, ea in permultis discrepare a Pithoeani et Sangallensis scholiis statim animadverteris. Primum enim Valla permultis locis adnotationes affert Probi nomine non laudato, quae veteris scholiastae esse confestim deprehenduntur: sat. I, 96. 135. 149. 155; II, 10. 125. 141; III, 17. 20. 23. 56. 63; IV, 8. 14. 79. 112. 113; VI, 322. 564. 574. 587; VII, 4. aliis locis, deinde multa pro Probianis affert scholia, quae neque in P. neque in S. leguntur, neque ullo modo cum scholiis veteribus coniunguntur. Eiusmodi cum alia tum sine dubio ea sunt, in quibus aliorum codicum lectiones offeruntur tanquam a Probo commemoratae, ut sat. VI, 238: hic versiculus in quibusdam codicibus non est, inquit Probus; ibid. 365: sed hic versus in quibusdam non est, inquit Probus; ibid. 632. 633: hi duo, inquit Probus, versiculi in aliis non sunt. Atque duplex huius discrepantiae Pithoeanorum et Vallensium scholiorum caussa cogitari potest. Prior ea est, ut cum Pithoeo (in praef. edit.) Vallam iudicemus „pro captu et arbitrio“ iis, quas in codice suo msc. haberet, adnotationibus usum esse, ut alia omitteret, alia adiceret, alia mutaret. Tres exstant loci, quibus ipse Pithoeus dubitat, an Valla sua pro Probianis venditaverit schol. sat. I, 109 de Licinio: „haec vero adnotatio ex Vallae exemplari; vereor ne non sit veteris interpretis;“ schol. sat. V, 36 de Helvidio: „haec ex Probo Vallae ac dubito, ne ipsius potius sit quam Probi;“ schol. sat. V, 109 de Seneca quodam: „et haec a Valla ut Probi relata et sunt fortasse ipsius Vallae“*). Sequitur non solum, ut Valla parum diligens accuratusque in afferendis et adhibendis veteris sui scholiastae adnotationibus fuerit, verum etiam in eam opinionem adducimur, ut a fraude quadam nonnumquam eum non abhorruisse credamus. Sed etiam illud factum esse potest, ut re vera Valla eiusmodi scholia in codice suo msc. inveniret, cui, si per maius temporis spatium in lectorum haud indoctorum

*) cf. Jahn. in ed. Juv. pag. 235 qui illa maximam partem secundum Taciti narrationem Ann. XV, 61 sqq. scripta esse adnotat.

adnotandique studiosorum manibus versatus sit, fieri aliter non potuit quam ut plura ac nova includerentur. Quae nunc qualia esse potuerint quaeritur.

Duas et recensiones textus et scholiorum genera esse scimus cum aetate tum auctoritate prorsus inter se diversa. Atque deterioris recensionis*) quam longe plurimi libri mss. tenent Nicaeum quemdam auctorem esse docuit Jahnius prolegg. pag. 116—136 (cf. id quod subscriptum legitur in fine cod. Laurentiani: „descriptum ad exemplum a Nicaeo Romae emendatum"), neque tamen quando orta sit perspicere possumus. Tertio enim aut quarto saeculo eam comparuisse C. F. Hermannus: de codicibus Juvenalis recte aestimandis (in catalogo aestiva Gotting. 1847) pag. 6 etsi fidenter affirmavit, parum tamen eo, quod in fragmento cod. palimpsesti Vaticani inveniri dicit eius vestigia, confirmare potuit atque evincere. Nam ipsum id quod dicit falsum est. Neglecta enim varietate quadam in scribendo et proprietate omnes illas lectiones Pithoeanis vel easdem vel simillimas esse videmus. Illud tamen certissimum est, cum deteriore textus recensione etiam deterius scholiorum genus ita nexum et iugatum esse, ut quorum codicum, cum recensionem Nicaeanam prodant, minor sit auctoritas lectionum, eidem vilia illa scholia praebere soleant. Atque eorum et originem didicimus et aetatem. Nam O. Jahnius l. l. pag. 127 a Cornuto ea profecta esse ostendit, quem sub imperio Caroli Calvi saec. IX vixisse ex Hierici nomine idem Jahnius recte collegisse videtur.**) Atqui mirum est, quod qui codices recensionem Nicaeanam scholiaque Cornuti eidem vitam nobis tradiderunt. Invenitur enim in cod. Alexandrino bibl. Vat. 2029 saec. X, in cod. Fauchetii bibl. Paris. 8070 saec. XI, in Mazarineo apud Achaintre, in codd. Vaticanis 2870 saec. XIII et Urbinati 342, cum absit a cod. Sangallensi et in Pithoeano a recentiore manu adscripta sit. Quare cum in Sang. non exstet, quem ex Pithoeano expressum esse scimus, cum maxima probabilitatis specie codicem illum ante ex Pithoeano, quam recentior illa manus vitam ei adnexuisset, descriptum esse iudicabimus.

Hac ex re illud certe collegitur, antiquorum pretiosorumque scholiorum vernaculam ut ita dicam cum vita coniunctionem statui non posse. At enim apud Vallam vita legitur ab eoque eidem cui vetera, quae habuit, scholia Probo assignatur. Quid ergo? qui Probum, cui scholia tribueret, seu errore seu fraude invenit, is eundem vitae ac scholiorum auctorem fingere non potuit? Sed quoniam iam supra monui, quam sit scholiorum Vallensium varia conditio, quippe quae,

---

*) Cornuti quae dicitur recensionem deteriorem esse, etsi omnium VV. DD. in unum congruunt sententiae, tamen unus pervivaciter negat A. Haeckermannus compluribus de ea re commentationibus editis (v. Teuffel, Gesch. d. röm. Lit. pag. 732). Neque tamen ei contigit, ut cuiquam fidem faceret. Et ne me quidem ad suam sententiam traducere potuit, cui sane ego impugnare vellem, sed in angustiam huius libelli coactus abstineo.

**) Totum hoc Cornuti scholiorum corpus codice Laurentiano saec. XI nobis servatum est.

ut Jahnii (proll. pag. 156) verbis utar, „partim optimae notae et antiqua, partim a male doctis profecta esse videantur“, haud absonam putaveris coniecturam, quod quaecunque in illis nova subsint aut mutata, ea pari modo ac vitam ipsam ex Cornuti commentario eo irrepsisse suspicor. Sane quaedam a Valla ut Probiana laudata huius coniecturae testimonium aliquod praebere videntur.*) Quamquam, si universa spectamus, tantum discriminis inter Vallense scholiorum genus et Cornutianum esse intellegimus, ut nisi exigua et fere fortuita alterius cum altero cognatio poni non possit. Ac quaerentibus nobis, num vita, cum, si unum Vallam missum facimus, cum corrupta textus specie et tenui scholiorum genere una semper legatur, ita ad haec pertineat, ut eiusdem originis sit et ipsa a Cornuto composita, id plane negandum et illud faciendum est iudicium, ut vitam iis multo vetustiorem esse dicamus, cuius judicii et totus vitae color et hoc testimonium est, quod ex ipsa vita quaedam de Juvenale etiam in codicis Pithoeani et Sangallensis scholia innexa sunt (v. infra pag. 8 et 16 sqq.). Et quoniam neque vita aut ad vetusta scholia aut ad recentiora Cornuti pertineat et duo haec scholiorum genera omnibus rebus ita inter se divergant, ut sola vita quasi in medio posita utriusque communis esse videatur, unum illud sanum ac consentaneum iudicium relinquitur. Nam peculiaris, unde vita hausta sit, fons statuatur necesse est.

Sed ubi fons ille quaerendus? Nullum cogitare poteris nisi Suetonii librum varium et copiosum: ex quo vitam natam esse aio, non quo a Suetonio ipso facta sit, sed tamen in opere ab illo relicto exstabat. Atque ad comprobandam eam sententiam video longius mihi esse repetendum, ut quomodo et vita et scholia orta sint, paucissimis quam possim verbis exponam.

Est opinio vulgo recepta inconsiderate semper ex alterius auctoritate ab altero laudata, Juvenalem et aequalibus suis et omnibus deinceps Romanis mire gratum et unum maxime lectum fuisse. Neque tamen quisquam, quod sciam, temerariae istius opinionis certa attulit exempla. Quae rogas cur omittantur? Quia non sunt. Nemo scriptor aequalis ne verbo quidem Juvenalem ut poëtam satiricum commemorat.**) Fuerunt quidem qui a Quinctiliano inst. orat. X, 1, 95: „sunt clari (sc. satirici) hodieque et qui olim nominabuntur,“ eum imprimis dici crederent. Sed opinio illa, quae est eius levitas temeritasque, facile eo infirmatur, quod illo tempore (95 p. Chr.) quo Quinctiliani liber, qui tamen antea fortasse scriptus erat, in publicum emittebatur, Juvenalis minime non modo de edendis

---

*) cf. Vallae verba ad sat. II, 169: „aphaeresis, ut placet Probo, mittentur pro omittentur;“ contra in Laurentiano: „Cornutus aliter exponit dicens . . . esse aferesim factam mittentur i. e. dimittentur.“ Nescio an Cornuti etiam sint insana illa ad sat. V, 89 (Jahn 233) adnotata et paraphrases illae quibus Pithoeanus caret sat. VI, 26 (Jahn 237).

**) Apud Martialem ter eius nomen occurrit, sed declamatoris, non poetae satirici v. infra pag. 22 et 30.

satiris, sed ne de scribendis quidem cogitavit.*) Nominatur autem Juvenalis primum apud Ammianum Marcellinum (c. 390 p. Chr.) et Cl. Rutilium Namatianum (c. 416 p. Chr.); versus ex satiris eius citati primum in Servii commentario Vergiliano occurrunt. Ac ne quis miretur, quod Juvenalis non statim nomen et celebritatem adeptus est. Nam qua divulgandorum librorum ratione tum uti consueverant, eam mehercle Juvenalis repudiavit. Quae ratio qualis fuerit et quanti a poeta aestimata, ex satira prima apparet. Irridet ibi Juvenalis poetas in porticibus Frontonianis recitantes. Et hoc observandum est. Quodcunque tum novi composuerat auctor, si in communem hominum notitiam efferri volebat, necesse erat id celeberrimis frequentissimisque locis recitaret. Quam consuetudinem quoniam respuit Juv., satirae eius nisi sensim et pedetentim increbrescere non potuerunt. Etsi vero satirae ab amicis et iis, qui idem quod ille sentiebant, divulgatae non ita tarde legi coeptae sint, tamen unum est, quo nihil dici potest certius, non continuo tractatas eas esse a grammaticis. Id ut comprobetur paucis verbis opus erit.

Ab Hadriano scimus scholas institutas esse publicas, illam imprimis, quod Athenaeum appellabatur. Quibus scholis qui commodis praemiisque ab Hadriano propositis praeerant, ad unum omnes Frontonem, grammaticum illum insulsum morosum minutum, nimis studiose sectabantur. Itaque cum vetusta tantum et obsoleta mirarentur, recentissimum quidque fastidiose spernebant. Unde factum est, ut uno maxime delectarentur Catone et, si quemquam ex recentioribus, solum Sallustium aut Lucretium quem legerent et interpretarentur dignum haberent, ut qui ipsi remota et recondita acriter appeterent. At Juvenalem omiserunt. Si igitur, ut necesse est, statuerimus, saec. II et III Juvenalis satiras a grammaticis neglectas inter eos tantummodo, qui legendi voluptate tenerentur, notas fuisse, nunc patescunt quaedam, quae facillime ac rite expediri possint. Primum enim, quae antiquissima omnium scholia exstant, ea illo tempore orta esse putaverim. Nam ipsorum scholiorum antiquorum non eam esse conditionem, ut ex unius hominis docti ingenio vel uno omnia tempore oriri potuerint, si quis vel obiter inspexerit, pro explorato habebit.**) Quam ob rem sic velim statuas, II aut III saec. hominem aliquem legendi potissimum studiosum, non eum, qui

*) Fortasse Turnum Quinctilianus intellexit, quem illustrem poetam fuisse Cl. Rut. Namatianus testatur I, 603, fortasse omnes illos, qui schol. sat. I, 20 apud Vallam (in codd. P. et S. scholion illud deest) nominantur. Legimus ibi: „vel, ut Probus exponit, Turnum dicit, Scaevi Remoris tragici poetae, fratrem. Turnus hic libertini generis ad honores provectus est potens in aula Vespasianorum Titi et Domitiani, vel Lenium dicit, quia [qui] et ipse satyras scripsit, vel Silium et ipsum sui temporis satyricum, qui omnes, ut Probus refert, ex Aurunca fuerunt.“ De Petronio quoque Arbitro cogitare liceret, si, quando vixisset, pro certo habere possemus.

**) cf. Ernest. Matthias: de scholiis Juvenalianis. Hal. 1875, qui tamen in eo erravit, quod iam secundo p. Chr. saeculo „veterum grammaticorum in Juv. commentarios“ exstitisse dicit (pag. 7).

grammaticas, quales tum essent, artes profiteretur ac susciperet, tacito quasi studio Juvenalis satiras obiter et passim adnotandas sibi sumpsisse. Qui tamen hoc munere ut unus de indoctis atque rudibus functus forsitan id unum egerit, ut inusitatas et obscuras voces vocibus significaret usitatioribus et, prout intellegeret, res abstrusas atque reconditas explanaret ac detegeret. Deinde cum concessum erit, Juvenalis satiras, posteaquam editae essent, non confestim in famam ac gratiam hominum pervenisse, illud etiam intellegemus, quam facile ab ignoto aliquo eius amatore, qui ut ipse Juvenalis stoicorum sectam coleret idemque molestissimus ineptissimusque esset monitor, genuinis poetae satiris inficetum aliquod carmen, quale est satira XV, adici potuerit. Euismodi autem exemplum, quod sat. XV exornatum erat, postea in omnium usum pervenit ac notitiam.

Jam vero praeter illos grammaticos, qui fatuitate et levitate Frontonis laetabantur, inveniebantur alii, qui in diverso grammaticorum studiorum genere, quae erat perscrutatio historiae literariae, versarentur. Ex quibus unus, posteaquam Romani Juvenalis satiras magis magisque adamare coeperant — nam postera aetate vulgo probatas eas fuisse testis est Amm. Marcellinus XXVIII, 4, 14: „quidam detestantes ut venena doctrinas Juvenalem et Marium Maximum (de quo v. schol. sat. IV, 53) curatiore studio legunt nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes“ — curiosus factus est, quidnam esset de vita illius poetae traditum. Sed quid potuit invenire? In Suetonii libro, qui unus in enarrandis illustrium virorum vitis versabatur, in eo nihil de Juvenale exstabat. Nam et illud quidem puto, Suetonium, quae est eius natura, poesim haud in magno pretio posuisse; quare postremo monumenti sui loco nescio an pauciora etiam, quam putetur, de claris poetis scripserit. Hoc vero manifestum est, eum non modo nihil de Juvenale scripsisse, sed universam illam operis eius partem omnium maxime mancam et imperfectam fuisse. Et quid magis verisimile, quam eiusmodi opus, quale a Suetonio institutum esset, cum certo fine careret, neque ab uno auctore absolutum esse et alios postea, ut complerent, incitavisse? Itaque grammaticus nescio quis suum esse arbitratus est, ut Juvenalis quoque vitam subiceret. Sed cum de eo nihil iam comperisset — unde comperiret? — nihil fuit reliquum quam ut mente usus et sensu eorum, qui artem tum colerent historicam et ii non tam veri investigatores quam captatores narratiuncularum esse solerent, et criticum quem novimus grammaticorum morem secutus ipse vitam excogitaret excogitatamque Suetoniano libro agglutinaret. Haec est vitae illius origo, quam signo I Jahnii aliorumque more notavi, qua ceterarum nullam aut vetustiorem aut maioris auctoritatis esse interim velim mihi concedatur. Non remotioris eam aetatis quam III vel IV esse saeculi ideo ego crediderim, quia haud scio an ipsae Juvenalis satirae non prius eas hominum approbationes et laudes consecutae sint, quibus aliquis ut vitam componeret adduceretur.

Exstincto caliginoso Frontonis lumine cum maior atque expeditior grammaticorum studiorum campus pateret saec. IV maximeque V (ob oculos versentur Ael. Donatus, Helenius Acro, Servius) ad Juvenalem quoque operam transferre coeperunt. Tum scholia puto eam quam in codd. P. et S. hodie praebent formam nacta esse et ambitum. Adiciebantur enim ubi nihil vetustissimus ille interpres adnotaverat recentes, aliae, si qua res non conveniebat, et rerum et verborum explicationes. Eam enim rationem invenisse mihi videor, qua diiudicari possit crebritas varietasque earum explicationum, quae eodem lemmate nunc in scholiis exstant, sive colligatae inter se sunt particulis *aut — aut, vel — vel,* sive nudam nuda excipit nota, sive diversissima, ut fit, permixta et confusa leguntur. Praeterea de personis, de rebus et moribus priscis addebatur quidquid ex literatorum hominum, imprimis Suetonii, commentariis, ex actis diurnis, ex edictis imperialibus, ex aliis fontibus hauriri poterat. Postremo cum in Suetonii libro et vita tum legeretur, fieri facile potuit, ut inde sumpta, si occasio tulisset, de Juvenale ipso huc illuc quaedam iniungerentur. Postea vero quam de vita Juvenalis certis scholiorum locis illa legebantur, usu venit, ut iis libris mss. qui scholiis instructi essent, ipsa vita iam non apponeretur; at adiungi solebat variata interdum et interpolata iis, qui omissis scholiis nudum exhibebant textum. Eiusmodi, ni fallor, ille liber fuit, quem Nicaeus pro arbitrio suo recensuit; licet vita exornatus fuerit, scholiis non item. Saeculo autem IX Cornutus tale exemplum a Nicaeo emendatum vel potius mendatum ineptissimis suis adnotationibus instruxit. En cur vita in iis tantum codd. inveniatur, qui si non omnibus scholiis careant, scholia praebeant Cornutiana. Atqui duobus illis et textus et scholiorum generibus ita evenit, ut sana textus recensio una cum veteribus scholiis — ut Jahnii hoc monentis verbis utar — „incertum quo casu situ oppressa fere et neglecta iaceret, altera per medium aevum una in hominum manibus versaretur pari modo ac scholia, quae a Cornuto profecta essent.“ Unum illum codicem quo Valla usus est ipsum quoque merae textus scholiorumque speciei affinem verisimile est diutius in hominum manibus versatum et non ita sera aetate amplificatum esse et auctum. Velut ei vita ex Suetonio deprompta adiuncta est; itemque postea Pithoeano accidit. Enimvero caussa adscribendae vitae aderat. Nam fecundissimus ille Suetonii liber, qua erat opportunitate, excerptus mature admodum mutata et mutilata forma in rhetorum et grammaticorum commentariolos per particulas diffluere coeperat. Quo factum est, ut pariter ac Probo, quem Valla dicit, etiam Pithoeano codici a monacho nescio quo vita mox adnecteretur, sin minus ex Suetonio, at ex deteriore aliquo codice.

Deinceps demonstrandum est, quoniam breviter disputando vitam Juvenalis aliter oriri potuisse negavi nisi ex ipsius Juvenalis satiris, ex iis oriri quomodo potuerit. Atque primum quaeritur, qua ratione inventum sit illud: *libertini*

locupletis incertum filius an alumnus. Libertinorum ordinis Juvenalem fuisse collegitur ex sat. I, 99: „agnitus accipies, iubet a praecone vocari Ipsos Troiugenas; nam vexant limen et ipsi Nobiscum.“ His verbis cum Troiugenis Juvenalis semet ipse opponat, vitae auctor libertinum eum fuisse statuit. Sed utrum patre an altore libertino usus esset, propterea in dubio reliquit, quod ex aliis satirarum locis intellexerat minime eum libertis libertinoque ordini favere. Nam et ipse quoque sine dubio viderat omnia ea, quae sat. III 58 sqq. de Graecis nefariis disputentur, ad libertinos Graecos pertinere. Praeterea autem ante oculos ei versabantur loci fortasse hi: sat. II, 58: „notum est, cur solo tabulas compleverit hister Liberto;“ sat. V, 28: „inter vos quotiens libertorumque cohortem Pugna;“ sat. VII, 43: „scit dare libertos extrema in parte sedentis Ordinis,“ quibus locis omnibus haud honorificam libertinorum mentionem fieri intellexit. Ea igitur ratiocinatione dubius factus, num poeta tanto quanto filius necessitudinis vinculo cum libertino aliquo coniunctus fuisset, verba scripsit: incertum filius an alumnus. Quod autem *locupletis* libertini filium aut alumnum eum fuisse dicitur, id, ut recte iam Düntzerus invenit, cum omnibus iis quae sat. XI de se dicit poeta, tum maxime versu nititur eiusdem satirae XI, 65: „De Tiburtino veniet pinguissimus agro Haedulus.“ Quae ibi commemoratur poetae villa Tiburtina, eam a libertino sive patre sive altore per heredium ad Juvenalem pervenisse vitae scriptor persuasum habuit.

Ad mediam fere aetatem declamavit. Haec ex sola prima satira collecta sunt, quippe quae aperte declararet poetam admodum diu declamatorum scholas frequentasse. Ceterum Teuffelio Jahrb. für Philol. u. Päd. Bd. 43 pag. 107 assentiendum est, qui „mediam aetatem“ non idem esse vult ac „mediam vitam“.

Animi magis caussa, quam quod scholae se aut foro praepararet. Ea auctor posuit, quia nullis satirarum locis Juvenalis se rhetorem fuisse ostendit et rhetoribus aliisque eius generis hominibus satira praecipue VII vehementer illudit. Sed ieiuna est quaestio de eorum verborum origine, quae amplificationis tantum et ornamenti caussa perfacile addi potuerint; quam missam faciamus. Difficile autem videtur iudicare, unde exilium eiusque caussam grammaticus excogitaverit. Atque ego non eum me fingam, qui demum veram et solidam narratiunculae originem invenerim. Id enim ago, ut labefactata vitae auctoritate omnique defendendae eius occasione praecisa omnia quae ibi narrantur ea esse demonstrem, quae qualibuscunque coniecturis excogitari potuerint. Sed plane velle eandem coniectandi rationem invenire, qua homo in confingenda illa fabula usus sit, haec esset arrogantia. Cogitatio enim quis nescit quam artificiosa saepe, quam mira et vere infinita fuerit in illis, qui, dummodo miracula et res singulares captarent, veri neglegentissimi esse solerent? Quare non, si quis exilium fallaciter a grammaticis commentum esse putaverit, idcirco temeritas ei exprobranda est.

Esset enim id mendacium, ut vicina tantum et finitima exempla proferam, prorsus consimile ei, quod struxerunt in vita Persii de sat. eius I, 121: „auriculas quis non habet (Mida rex habet)“, neque ab illis nugis dissonum esset, quibus Cn. Naevio poetae multa et molesta cum Metellis negotia fuisse excogitaverunt adeo versiculos duos fabricati. Juvenalem vero in crudeli et superba quae tum exerceretur dominatione haud impune tantam in satiris libertatem fortitudinemque praestitisse proclivis erat suspicio. Nam etiam illi quanta tum temporum tristitia fuisset didicerant et multa inde ab Augusto, qui primus specie legis Corneliae laesae maiestatis „cognitionem de famosis libellis tractavit commotus Cassii Severi libidine“ (Tac. Ann. I, 72 cf. IV, 21) memoria tenebant expulsorum hominum literatorum exempla. Quid? quod pariter ac nos tales locos cognitos habebant, qualis est Suetonii Dom. cap. 8: „scripta famosa vulgoque edita, quibus primores viri ac feminae notabantur, abolevit (sc. Domitianus) non sine auctorum ignominia.“ Itaque facillime eorum aliquis perduci potuit, ut omni scrupulo omisso lepidam illam libertatis et audaciae poenam ex ingenio suo comminisceretur. Atque etiam illud factum esse potest, ut de poeta nescio quo satirico ex urbe ab imperatore summoto vagus rumor ad illius temporis homines perveniret, quem perverse illi Juvenalem intellegerent. Velut F. V. Fritzsche de scriptoribus satiricis spec. IV (in ind. lectt. Acad. Rostock.) pag. 4 adnotat: „vereor ne in eorum numero, qui poenas dederunt, Turnus fuerit.“ Id alii viderint; sed quod Turno aliive poetae satirico acciderat, id incerta fama Juvenali accidisse putari potuit. Verum talibus coniecturis neglectis quam viam iniimus ea insistamus, si forte ex satiris qualicunque modo narratiuncula illa derivari possit. Juvenalis sat. I, 150 hominem aliquem sibi obicientem fingit: „unde Ingenium par materiae? unde illa priorum Scribendi quodcunque animo flagrante liberet Simplicitas?“ Ad quod ille: „quid refert, dictis ignoscat Mucius annon?“ Tum alter: quid vero, inquit, si quando potentem quemquam ipsius principis gratia fruentem carpseris? Tum Juvenalis, quamquam primo et illorum simultatem neglecturum sese simulat, tamen gravissimis alterius caussis, quibus divites potentesque castigare vetaretur, cognitis in fine satirae prius suum consilium eum in modum mutat, ut dicat: „experiar quid concedatur in illos, Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.“ Haec cum sciolus ille grammaticus qui vitam composuit legisset, cognoscere cupivit, quomodo experientia ista Juvenali evenisset. Jam cum ex sat. XV in Aegypto eum aliquando fuisse intellexisset, illuc exulatum eum ivisse exploratum habuit et eam quidem ob caussam, quod exspectatione minus in mortuos ei concessum fuisset. Pro certo igitur statuit hoc illove Juvenalis satirarum loco potentem aliquem et eum potentissimum omnium, imperatorem ipsum, offensum esse. Qui quisnam fuisset nondum curavit; unum illud quaesivit, ubi talis in satiris locus exstaret, quo imperator offendi potuisset. Ac profecto tanta cum probabilitate nullum invenire potuit, quanta versiculos illos,

qui sunt sat. VII 89. 90: „quod non dant proceres dabit histrio, tu Camerinos Et Baream tu nobilium magna atria curas? Praefectos Pelopea facit Philomela tribunos.“ Nam observandum est in satira VII et primum et ultimum poetam abiecto quod sat. I proclamaverat consilio praesens tum tempus apertissime significare. In primo enim carmine dilucidis verbis Caesar tum ipsum regnans laudatur. Quocirca vitae auctor sic forsitan ratiocinatus sit. Necesse erat Caesarem perspicere hac in satira Juvenalem de se suoque tempore loqui, ut et versus illos in suum tempus dictos esse non posset non opinari. Juvenalis vero non ea fuit opinio, utpote qui in exordio satirae Caesarem illum (Traianum videtur intellexisse) summis laudibus dignum fecerit. Immo ne in hac quidem satira a lege proposita, ut in mortuos inveheretur, defecit et Domitiani tempora carpit. At vero Caesar, cum in prima satira sua tempora notari vidisset, etiam versus illos de se accipiendos esse arbitratus est. Ea fere grammatici fuit cogitatio. Quid? quod, cum ex satira I. Juvenalem priorem satiras scribendi rationem mutasse collegeret, fortasse non ementitum sed colloquium re vera habitum ibi referri ratus verisimile esse duxit ante editas eas quas ipse legeret satiras alias fuisse scriptas, quas, quia aequales homines iis castigarentur, ineditas reliquisset. Ergo pulcherrime se coniecisse opinabatur, cum versus illos satirae VII de Statio et Paride ex vetere aliqua illius generis satira exscriptos esse statuisset.

Pari modo quod *per honorem militiae ad praefecturam cohortis* missus esse fertur, id ex eo collegitur, quod Juvenalis in sat. XVI rerum militarium tam peritum sese praestat, ut ipse militiae aliquo munere functus esse videatur. De verbis *quamquam octogenarius* infra videbimus. Nunc ex universo vitae tenore ea afferemus, quibus, si nihil aliud, illud demonstrari possit, eam recentiorem potius quam vetustiorem originem sapere. Maximam igitur offensionem praebet dubitatio illa, quae verbis inest: libertini locupletis incertum filius an alumnus. Quae quomodo orta sit ex ea quam ego feci explicatione valde elucet, sin ab ullo Juvenalis aequali vel aetatem eius proxime attingente homine facta sit, minime eiusmodi caussis excusatur quales Teuffellius Jahn. Jahrb. f. Philol. u. Päd. Jahrg. 15, Bd. 43, pag. 105. 106 protulit. Quid enim? „Rhetorum scholis egressum Juvenalem haud absurde paucorum versuum satiram in Paridem pantomimum poetamque semestribus militiolis emicantem [tumentem] composuisse, satirarum genus deinde de industria excoluisse et tamen bene diu ne modico quidem auditorio quidquam committere ausum mox tanto successu auditum esse, ut . . .“ haec singula vitae auctor certo scire potuit, utrum libertinus pater an altor fuisset, scire non potuit? Quid multa? quod qui vitam scripsit, in prima ea aliquid nescit idemque studiorum Juvenalis accuratissimam prodit scientiam, ea re magnopere commoveor. Porro cur ne unum quidem nomen affertur nisi Paridis et Aegypti? quorum utrumque ex ipsis satiris facillime sumi potuerunt; at neque imperator a quo Juvenalis pulsus sit nominatur neque quis ille fuerit narratur „tunc in deliciis aulae habitus“. Praeterea extrema Aegypti

pars accuratius non definitur, et locupletem si patrem seu altorem Juvenalis fuisse scivit, cur eius nomen non attulit scriptor?

Quodsi G. Hermannus in recensione Val. Franckii libelli cui inscribitur: Examen criticum D. Jun. Juv. vitae, Altonae 1820 in Leipz. Literaturzeit. 1822. pag. 1811 hanc vitam excerptam esse censuit ex vita vetustissima ab ipso Suetonio scripta, nunc autem deperdita, false id iudicatum esse apparet. Primum quod vetustissimam vitam a Suetonio scriptam exstitisse putat, error est. Nam Suetonium Juvenalis vitam scripsisse supra ego (v. pag. 1 et 2) gravissimis laudatis auctoribus negavi. Sed faciamus hanc vitam, de qua agimus, ex vetustiore etiam incerti auctoris vita expressam esse: est aliquid, quod ita censere nos vetet. Qui enim vetustam eamque integram et plenam vitam excerpendam sibi sumpserit, eum verisimile sane est multa brevioribus verbis contraxisse; at quis crediderit eum nomina illa quae allata ibi sine dubio essent omissurum aut ea de quibus dubium ibi esse non posset incerta redditurum fuisse ac dubia? Immo vero eum euismodi hominum morem fuisse constat, ut quae incerta invenirent relicta ea pro certis potius venditarent quam ut facerent contrarium. Atque ipsum hunc grammaticorum morem observare licet in ceteris vitis. Nam huius vitae auctor satis habuit quod exilium et caussam eius invenisset; qui vero postea edendis satiris vitam Juvenalis addere volebant, ii eo non contenti alius de alio imperatore cogitarunt, in diversas abierunt sententias de supremis poetae aetatis annis, dissenserunt utrum ex exilio redisset necne, quando mortuus esset, ubi satiras scripsisset, permulta denique eorum quae vetustissima vita praebet vel mutaverunt vel amplificaverunt. Id enim et ego cum plerisque VV. DD. credo, reliquas vitas, quas praeter eam, qua de disputavi, novimus, ex ipsa illa sin minus recta, at aliam per aliam manasse. Quam sententiam ut comprobem, unum illud afferre lubet, quod verba *ad mediam fere aetatem declamavit* plane eadem in omnibus vitis leguntur exceptis vitis IV et VII. Quod autem in earum altera pro illis invenitur: *declamavit haud mediocri fama ut ipse scribit „et nos consilium dedimus Sullae"* omissis verbis *usque ad mediam fere aetatem* et quod in altera declamationum nulla omnino mentio fit, quoniam id ut sciretur non magnopere interesse visum est: quem tandem id offendet, cum quamvis sint in altera breviata in altera multiplicata verba, res tamen in utraque fere eaedem ac in reliquis inveniantur. Verum addo et illud etiam, quod reliquas vitas compositas esse puto veterrima illa non iam oculis obiecta et proposita, sed in notitiam saltem perlata et aliquando antea perlecta. Quo autem melius qua ratione variae vitae ortae sint perspiciatur, vita quaedam recentissimae aetatis inspiciatur velim, anno 1859 ab O. Ribbeckio in praef. edit. Juv. pag. XII et excogitata et edita. Ea gravissimo, opinor, documento mihi est, cum dicam grammaticorum arbitrio et temeritate principalem illam vitam in permultis haud mediocriter transformari potuisse.

Sed nondum ad finem disputatio de vita perducta est. Verba enim: *„mox magna frequentia tantoque successu bis aut ter auditus est, ut ea quoque quae prima fecerat inferciret novis scriptis“* quomodo quaeritur et inter se et cum iis quae sequuntur congruant. Vitae auctor, cum bis aut ter Juvenalem auditum esse dicit, haud dubie primas sex satiras vult recitatas. Omissum igitur est in vita, ut sex illas satiras duabus vel tribus recitationibus lectas etiam editas postea esse dicatur. Proprie enim sic dici debuit: „mox magna frequentia tantoque successu bis aut ter auditus est, ut *[non solum sex satiras, quas recitaverat, ederet, sed ut]* ea quoque, quae prima fecerat inferciret novis scriptis.“ Eum quidem sensum auctorem verbis illis inesse voluisse apparet. Atqui iis cum verbis qui concinunt ea quae sequuntur: „erat tunc in deliciis aulae (sc. histrio) multique fautorum eius quottidie provehebantur. venit ergo Juvenalis in suspicionem . . . ac *statim quamquam octogenarius* missus est in extremam Aegypti partem“? Eam vides scriptoris opinionem fuisse, ut post editam septimam satiram s t a t i m Juvenalem expulsum esse putaret. Quid? si ultima vitae verba haec sunt „verum *intra brevissimum tempus* angore ac taedio periit“, in exilio num poëta satiris scribendis operam navare potuit? Quando reliquae inde a septima satirae scriptae sunt? Haec difficultas ego non video quomodo interpretandi arte expediri possit. In vita sane Ribbeckiana (praef. ed. Juv. pag. XII) sic nobis traditur: „inseruit ea carmina in satiram VII, *quam iterum edebat*“. Quam explicationem absurdissimam esse censeo. Primum enim vocubala *bis aut ter,* nisi ad recitationem primariam sex satirarum referimus, intellegere non possumus neque alius sententiarum nexus esse potest ac quem ego modo substitui. Inde autem efficitur, ut Juvenalis iam principi satirarum editioni versus illos de Paride inseruerit. Deinde de altera ab ipso poeta curata editione nulla ex parte quidquam cognoscimus. Praeclare nimirum res se habeat, si verba vitae IV *„in exilio ampliavit satiras et pleraque mutavit“* hic afferri possint. Sed ea ipsa obstant, quominus Ribbeckii interpretationi accedamus, nam in e x i l i o ibi Juvenalis satiras ampliasse dicitur; ut propter ampliores satiras iterum editas in exilium mitti non potuerit. Denique ipsa verba *„novis scriptis“* argumento sunt, quod vitae auctor de satiris iterum editis non cogitavit; de quibus si cogitasset, non „novis scriptis“, sed „denuo scriptis“ posuisset.

Quae cum ita sint, quicunque vitam composuit, is pro homine praepostero habendus est; nam post scriptas septem tantum satiras Juvenalem in exilium missum et intra brevissimum tempus ibi mortuum esse docet nihil curata novem reliquarum satirarum origine. Quae confusio tanta profecto est, vix ut ab uno eodemque homine, quamvis fuerit inconsultus atque demens proficisci, potuerit. Quocirca ut aliquantulum vetustissimi vitae auctoris honori patrociner, sic ego conicio, et verba *„quamquam octogenarius“* et extrema illa *„verum — periit“* ab alio quo postea adiecta esse, qui quod de fine Juvenalis nihil audivisset, aegre

ferens audaci additamento mancam vitam suppleret. In dubio autem relinquo, num extremi vitae additamenti idem, qui verborum „quamqam octogenarius“ auctor sit. Verba illa „a scriptore pro suis ipsius ratiociniis temere posita esse“ etiam Synnerbergius, de temporibus vitae carminumque D. J. Juvenalis rite constituendis. Helsingf. 1866 pag. 24 et Val. Francke ex crit. pag. 94 — „octogenarium tum fuisse poetam, quum in exilium mitteretur, potuit grammaticus conclusione aliqua et coniectura efficere“ — concedunt. Neque tamen ego ea quae volunt illi ratiocinia fuisse censeo. Mihi quidem videtur is, qui verba „quamquam octog.“ vitae textui infersit, laudes illas, a quibus satira septima orditur, probe ad Traianum contulisse, non item probe censuisse epigramma illud olim in Paridem, Neronis pantomimum, factum esse, quod quidem ad Domitiani Paridem pertinet. Paris autem ille inde ab anno 56 p. Chr. usque ad a. 67 p. Chr. (cf. Tac. Ann. XIII, 19—22) apud Neronem potentissimus fuit. Ut igitur vitae interpolator laudibus illis ad Traianum relatis cum satiram VII tum relegationem Juv. in annum fere 102 p. Chr. posuerit, exiguam autem in Neronis Paridem satiram anno 62 scriptam esse putaverit, quo anno Nero Octavia uxore depulsa et Burro interfecto in Tigellinum (v. sat. I, 55) summam auctoritatem transfundere coepit et festos illos in theatro dies egit: inde ab anno 62 usque ad annum 102 calculis subtiliter subductis 40 annos effecit et quoniam in vitae exordio legebat usque ad mediam fere aetatem Juvenalem declamasse, non potuit quin a. 62 eum 40 annos natum fuisse crederet. Adiectis autem his 40 annis ad 40 eos annos, qui temporis spatio inde a 62 usque ad 102 efficiuntur, aetatis anni 80 putantur. Atque ita constituta aetas effecit, ut vel ab eodem vel ab alio ratiocinatore verba praeterea adiungerentur „*verum — periit*“.

Egregie mehercle hoc erat computatum, neque tamen ei probabatur, qui in codice Vossii hanc vitam expressit. Is enim, cum, quam ultima verba rationi non convenirent, intellexisset, eum in modum quod ille peccaverat correxit, ut vitium vitio vitaret. Nam pro „verum intra brevissimum tempus angore ac taedio periit“ scripsit: „*verum intra brevissimum tempus θεὸς αὐτὸς adscribitur divorum choro revertiturque Juvenalis Romam, qui tandem ad Nervae et Traiani principatum supervivens senio et taedio vitae confectus properantem spiritum cum tussi exspuit*“. Recte igitur ille quidem perspexit peregrinam Juv. in exilio mortem propter satiras 8—16 statui non posse; sed cum Nerone imperante eum natum esse iudicat et Domitiani, cuius ipsum nomen affert, non Neronis Paridem intellegit, in alium incidit errorem. Nam reputa, quaeso, quomodo congruant: „Junius Juvenalis ... oriundus temporibus Claudii Neronis ad mediam fere aetatem declamavit ... deinde ad poetices se applicavit et postquam diu tacuit incepit: semper ... dehinc paucorum versuum satira non absurde in Paridem Domitiani pantomimum ... composita .. tamen diu ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus . mox auditus est ... ut inferciret novis

scriptis . . . venit Juvenalis in suspicionem ac statim per honorem militiolae quamquam octogenarius urbe summotus . . . verum intra brevissimum tempus θεὸς αὐτὸς adscribitur divorum choro revertiturque Juvenalis, qui tandem ad Nervae et Traiani principatum supervivens . . ." Quid? extremis Domitiani annis — nam a Domitiano Juv. relegatum esse vitae auctor credidit — is octogenarius fuit, qui Nerone regnante natus erat? A primo Neronis dominationis anno (54 p. Chr.) si ad extremum Domitiani regnum quot sint anni numeras, non amplius 42 anni efficiuntur. Quodsi idem auctor poetam mox illum quidem revertisse, sed ad Nervae tantum et Traiani principatum supervixisse fabuletur, dubium non est, quin Juv. aetatis suae anno quadragesimo quarto obierit. Aliter res se habeat, si verba „temporibus Claudii Neronis" non ad vocabulum „oriundus" referas coniungasque cum iis, quae sequuntur „ad mediam fere aetatem". Tum vero eadem fere quae in vita I sententia oritur. Sed hac interpretatione vide ne ille homo iusto scitior ac prudentior fingatur. Nam inter ea, quae in vita I continua serie leguntur „incertum filius an alumnus ad mediam fere aetatem . . ." tota illa enuntiatio „ex Aquinio Volscorum oppido oriundus temporibus Claudii Neronis" ita interponitur, ut arcto vinculo contineri videatur. Quam ob rem critica illorum hominum facultate desperata non dubito etiam hoc loco securitatem auctoris ac dementiam agnoscere. Erat enim ei, cum de extrema Juvenalis vita alia ac vita I referret et a Domitiano eum urbe pulsum esse statueret, delendum illud quod in vita I temere positum erat „quamquam octogenarius". Quod cum retinuit, omnia turbavit. Duo autem haec verba sane non sunt eiusdem, cuius reliqua vita, sed eadem effecerunt, ut tam multa et tam varia de morte Juvenalis excogitarentur. Talia autem cur non sint ab eo qui primam vitam conscripserit tradita, caussa facillime cogitatur. Nimirum ille, quot annos complevisset et quomodo obiisset poeta, ex satiris eius collegere non potuit.

His disputatis hanc doceo vitae condicionem esse. Duo eius fabricatores fuisse censeo; quorum prior tradidit, quidquid ex satiris collegendi divinandique arte invenerat; alter vitam sic compositam ita supplevit, ut ex ipsius vitae interpretatione quae nescire se pigeret adiceret. Ceterum de singulis singularum vitarum discrepantiis meum non est hic fusius disceptare. Unum hoc monebo, ea quae in extrema vita III legantur *„periit anno aetatis suae altero et octuagesimo"* optime explicari, si non sine notitia vitae II scripta ea esse statuamus. Juvenalis enim si octogenarius paullo ante Domitianum „divorum choro adscriptum" relegatus est (96 p. Chr.) reversusque ad Nervae et Traiani principatum (98 p. Chr.) supervixit, mortuus est octogesimum alterum aetatis annum agens. Id apparet e vita II facillime effici potuisse; quam ex vita I expressam ac dilatatam esse mecum consentientes affirmaverunt Francke ex. critic. pag. 17; C. Fr. Hermannus de sat. sept. tpp. pag. 8; Synnerbergius l. l. pag. 14; unus, quod sciam, Pinzgerus (Neue Jahrb. f. Phil. u. Päd. 1835 pag. 203) negavit. Qui quam vehementer

erraverit, cum nonnemo virorum doctorum et eorum quidem, quos modo laudavi, comprobaverit, tum quaecunque usque adhuc a me disputata sunt ostendunt, ut non iam refutato eo opus sit. Atque ad summam manifestum iam et confessum esse credo, vitam I pro communi omnium fonte habendam esse (v. pag. 5). Quae quomodo orta sit cum quamlibet quaestionem versatus confirmaverim et sanxerim, fore spero, ut nihil admodum auctoritatis neque ipsi vitae Pseudo-suetonianae nec ceteris vitis ex ea ductis tribuendum esse concedatur. —

Quid igitur de exilio? Licetne diffidere? Enimvero licet. Quodcunque enim de exilio narratur haud secus ac reliqua vita in coniecturis positum est. Atqui hoc unum maxime est tenendum, exilii nusquam nisi in vitis et quattuor scholiorum locis mentionem fieri. At exstant apud Apollinarem Sidonium IX 272 pauci versus, in quibus nullo nomine allato de „exule histrionis" quodam sermo est, quem esse Juvenalem inter VV. DD. constat. De eo loco necesse est breviter disputem. Legitur apud Sidonium IX, 272:

Non qui tempore Caesaris secundi
Aeterno incoluit reatu,
Nec qui consimili deinde casu
Ad vulgi tenuem strepentis auram
Irati fuit histrionis exul.

De Juvenale eo loco Sidonium cogitasse haud satis certum est. Ego nonnihil me offendi fateor, quod Juv. histrionis exul fuisse dicitur „ad vulgi tenuem strepentis auram". Plures eorum verborum explicationes cogitari possunt. Vis enim praepositionis „ad" diversissimo modo intellegi, participium „strepentis" aut ad „vulgi" aut ad „histrionis" referri potest; vox „auram" cum idem quod „favor" (cf. aura popularis) significat, tum eo quo vocabulum „susurrus" sensu explicatur. Sed ut longum ita supervacaneum est omnes quae fingi possunt explicationes hic enumerare, quarum alia alium efficit sensum. Attamen satis mihi eorum opinio placet, qui Juvenalem hic designatum esse affirmant. Verba autem illa sic Germanice transferenda esse censeo, welcher (auf hin) wegen (de praepositione „ad" ita usurpata v. Hand Tursell. I pag. 97) der armseligen Gunst des lärmenden Volkes . . . ut is quem fuisse ferant satirarum successus (cf. quae in vitis sunt „tantoque successu auditus est") hic significetur. Quid ergo? Synnerbergio me assentire oportet, qui l. l. pag. 44 hunc Apollinaris locum argumento esse contendat, cur famam de relegato poeta antiquissimam dicere liceat? Minime. Nam Apollinaris Sidonius mortuus est a. 484. p. Chr.; illo autem tempore cum vitae iamdiu exstarent tum fabula illa de Juvenalis exilio adeo sine dubio pervulgata erat, ut praesertim qui rhetoricas velut Apollinaris et doctas in scribendo ampullas captaret cognitam eam habere posset.

Pergo ad scholia; quorum ratio fere eadem est, quae illius Apollinaris loci. Fac enim recorderis, quae supra a me disputata sunt de scholiis. Ipsa vetustissima

scholia, quae codd. P. et S. exhiberent, non eiusdem omnia aut auctoris aut aetatis esse demonstravi (v. supra pag. 6 sq.). Nam vel plurima ea tum demum orta esse docui, posteaquam et lectio et interpretatio satirarum a multis agitari coepta esset saec. IV. et V. Tum autem vita iam ante id tempus Suetonii libro assuta cunctis grammaticis praesto erat. Inde igitur sumptae notae quaedam de Juv. vita scholiorum corpori passim inseri potuerunt. Quod ut minus mirum videatur, iure meo hic afferre posse videor, quae Pithoeus ad editionem suam 1585 de natura ac specie scholiorum suorum praefatus est: „Ego vero," inquit, „quod ceteris fere veterum grammaticorum glossis et commentariis, idem et huic nostro accidisse video, ut ex variorum diversae ut aetatis ita eruditionis interpretum notis conflatum instar et ipsum satirae esset. quin et in antiquo exemplari saepe me ab initio ex marginum diversitate interpretationum quoque diversitatem notasse memini." Quae cum ita sint, in quibus scholiis de exilio quid dicitur, ea non e vetustissimorum numero esse statuamus neve ad vitam referre dubitemus. Sunt autem haec: schol. ad sat. I. 1; schol. ad sat. IV, 38; schol. ad sat. VII, 92; schol. ad sat. XV, 27. Schol. ad sat. I, 1 hoc est:

SEMPER EGO. Juvenalem aliqui Gallum propter corporis magnitudinem, aliqui Aquinatem dicunt. ea tempora Domitiani tyranni, quibus etiam ipse vixit eo quod in aula ipsius plus striones quam bonae vitae homines possent, graviter carpsit. Hos autem libros in exilium missus ad civitatem ultimam Aegypti Hoasim ab ipso Domitiano scripsit. Ideo autem in exilium missus est, quia dixit versum illum „quod non dant proceres dabit strio". nunc autem hoc inducit per figuras quasi carptus sit a miseris poetis qui nil novum sed omnibus notas fabulas recitarent et dicit magis ideo satiram se scribere, ut possit mores illius temporis demonstrando notare.

Principale scholion praemisso lemmate SEMPER EGO a verbis, ni fallor, orditum est „hoc inducit per figuras." Ita pronomen „hoc", quod nunc nimio spatio a lemmate seiungitur, multo est aptius. Quae antecedunt, ea aliena manu postea adscripta esse mihi persuadeo. Nam sunt partim ita futilia, ut omnem recentiorum grammaticorum insulsitatem prodant*), partim illa quidem novi aliquid tradunt, sed ea ipsa re vitis iuniora esse arguuntur. Oasis cur nominetur quaeri non potest.

*) Verba „Juvenalem — magnitudinem" librarii alicuius, non veteris scholiastae esse etiam E. Matthias „de scholiis Juvenalianis" pag. 9 affirmat, qui ibid. nitidam quamdam de verborum eorum origine opinionem deprompsit, quam ego mihi vehementer arridere fateor. Scribit enim Matth.: „ea (quae prima sunt in schol.) ex sat. III versu 321 facta esse arbitror. Ibi enim Umbricium poeta ita sibi dicentem inducit: „quotiens te Roma . . . tuo reddet Aquino Me quoque . . . ." Scholiasta autem apposuit: „Apud Aquinum colunt numina earum dearum, quas colunt in Gallis. Idemque fere Valla ex Probo affert, qui dicit: „locus in Gallia qui sic appellatur, ut ait Probus." Apparet igitur scholiastam epitheton illud Cereris „Helvina," cuius de etymologia dubitatur, cum

Nam civitas Oasis sine dubio eadem est, quae magna Oasis vulgo vocabatur, vel ea fere Aegypti regio, ubi ad Nilum sita est urbs Tentyra. Nemo igitur erit, quin cur Oasis vocetur intellegat. In satira enim XV Tentyritarum et Ombitarum pugna describitur, quae cum spectante Juvenale — id enim ex sat. XV, 45 *„quantum ipse notavi“* collegebatur — Tentyris commissa esse putaretur, nihil facilius fieri potuit, quam ut, qui Aegypti regiones accuratius pernosceret, poetam in Oasim civitatem missum esse statueret. Definit igitur scholiasta id quod in vita invenerat „extremam Aegypti partem.“ Contra si Oasis vitis ipsis vetustior esset, valde profecto mirandum esset, cur non in hanc vel illam vitam irrepsisset. Quid? quod perversissime scholiasta Juvenalem a Domitiano expulsum in exilio satiras scripsisse dicit. Martialis enim testis est, eum Traiano regnante Romae fuisse (v. pag. 22 sq.).

Alterum scholion exstat ad sat. IV, 37:

VLTIMVS. hoc convicium in Fl. Domitianum, Titi fratrem, Vespasiani filium iactat, qui calvus fuit propterea quod Juvenalis sub specie honoris relegatus est ad cohortis curam in Aegypto Hoasa, ubi mortuus est. ultimum autem Neronem dicit quia illo Caesarum origo defecit.

Dubium non est, quin verba „propterea quod — mortuus est“ a posteriore manu huic scholio insuta sint. Id eo comprobatur testimonio, quod, si verba ista omnino e scholio excideris, tota sententia multo melius procedit. Vide, quaeso: „hoc convicium in Fl. Domitianum iactat, qui calvus fuit. ultimum autem Neronem dixit quia . . .“ Illa verba si intercedunt, haud levis fit sententiarum nexus perturbatio; atque adeo merae eveniunt ineptiae. Sive enim legis cum Pithoeo, qui tamen false coniecisse videtur: *„propter quod,“* pronomen „quod“ relative ad convicium respicit, quasi propter illos quartae satirae versus Juvenalis relegatus sit, quod nullus sanae mentis homo credere potuit, minime is, qui in exilio eum mortuum esse putaret; sive vulgatam retines: *„propterea quod,“* statuas necesse est et quartam et ceteras satiras post satiram septimam, cuius fatales illi versus principis invidiam et exilium ei conflavissent, in exilio a poeta scriptas esse. Utramcumque praetuleris lectionem, deprehendes interpolatorem temerarium atque credulum. Adde quod vocabulum „Juvenalis“ plane est supervacaneum et quod prorsus eadem verba redeunt, quae in vita IV inveniuntur „sub specie honoris“: intelleges totam illam glossam a librario aliquo posterioris aetatis, qui scientia sua laetus novi aliquid inferre averet, consultis vitis, maxime fortasse vita IV, temere et parum critice

---

nomine Helviorum commutasse, quam gentem Celticam Galliae provinciae esse scimus (Caes. B. G. VII, 7,5). Librarius autem aliquis, qui illo loco legebat petere a Juvenale Umbricium, ut ipsum ad Helvinam Cererem converteret, quique putabat illis verbis locum quemdam in Helviorum finibus situm significari, facile illam Juv. patriam esse coniecit. Verba autem „propter corporis magnitudinem“ fortasse ex schol. VIII, 251 sumpsit, ubi Galli „qui ut saepius antiquitus (cf. X, 282; XI, 112) a Germanis non discernuntur „grandi statura“ dicuntur esse.“

eo iniuncta esse. Atqui ad hunc versum sub lemmate CALVO aliud scholion exstat, nam ea verba, quae attuli, excipiuntur hisce:

CALVO. nam et Suetonius refert (Dom. 18) quia calvus fuit. ultimum vero ideo dicit, quia cum Vespasianus et Titus et Domicianus Flavia ex gente fuerint, Domicianus ultimus eorum et dissimillimus imperavit. meminit hoc Valerius Martialis in epigrammate (et) his versibus finit: „Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit heres. pene fuit tanti non habuisse deos.“ Flaviae gentis ultimum Domicianum dicit. hoc enim ordine regnaverunt Nero Vespasianus Titus Domicianus.

Praetermisso exilio in hoc scholio plane eadem referri vides, quae in antecedente. Quam ob rem quaecunque sub lemmate parum videlicet accommodato VLTIMVS leguntur, ea tamquam posterius apposita reicio. Remota enim illa de exilio nota, quae moleste intercedit — at quid lubentius librarios censes vetustissimis scholiis intulisse, quam gratam illam de exilio notitiam! — verum nota illa remota cetera ex eo scholio, quod sub lemmate CALVO legitur, repetita sunt. Sed ne hoc quidem scholion totum unius auctoris est. Quae in fine eius exstant „Flaviae gentis ultimum Domicianum dicit. hoc enim ordine regnaverunt Nero Vespasianus Titus Domicianus,“ cum quod antea dictum est languide repetant, et ipsa pro alieno additamento habenda sunt. Itaque ea potissimum, quae ad sat. VII, 37 adnotata relicta sunt, quae sit scholiorum varietas et farrago perspicue illustrant. Oasa, i. e. Oasis ex schol. I, 1 originem ducit.

Praeterea duo inveniuntur scholia ad sat. VII, 92 et ad sat. XV, 27. In schol. ad. sat. VII, 92 cum verba „Neronem significat, qui scaenicis ob turpem libidinem haec petentibus praestabat“ claudicante pede sequuntur: „*propter hunc versum missus est in exilio a Claudio Nerone*“, confestim iunioris manus vestigia animadvertuntur. Nam qui scripsit „missus est in exilio a Claudio Nerone“ is sine dubio priorem scholii partem sub oculis habuit, non enim Neronem exilii auctorem fuisse scripsisset, nisi antecedentibus „Neronem significat“ corruptus fuisset.

Jam non longa disputatione opus est de schol. XV, 27. Eadem enim res est. In Aegypto militem tenuisse ideo Iuvenalis dicitur, quia scriptum in vitis erat eum ad praefecturam cohortis in Aegyptum missum esse. Scholion autem hoc est:

NOS MIRANDA. *de se dicit Juvenalis quia in Aegypto militem tenuit et ea promittit se relaturum, quae ipse vidit.*

Aut totam adnotationem aut certe verba „quia — tenuit“ recentioris aetatis esse crediderim. Ceterum de exilio ex hoc scholio nihil efficitur. Qua de caussa nescio an alia etiam coniectura exprimi possit; quam silentio non praetermittendam esse duco. Qua enim est brevitate simplicitateque, hoc scholion antiquum magis quam recentius esse videtur. Atque est fortasse et eis scholiis, quae commemoravi, et ipsis vitis antiquius. Quod si ita se habeat, haec utique vetustissima de poeta nota ipsa illius de exilio fabulae fons esse possit. Nam in Aegypto Juvenalem fuisse

manifesto ex sat. XV elucebat, militari aliquo munere functum esse sine moroso ullo scrupulo ex sat. XVI collegi poterat. Quid? haec a vetere aliquo grammatico nonne ita conciliari potuerunt, ut Juvenalem in Aegypto militasse diceret? Id vero ubi primum factum est, latissimus coniectandi campus coniectoribus patebat. Cur? quomodo? quando in Aegypto militavit? Eiusmodi quaesitis respondendum erat. Quodsi exulem sub specie militiolae in Aegyptum eum missum esse responderunt, id ea de causa factum est, quod tantam quantam in satiris Juvenalis praestitisset licentiam atque audaciam impunitam a crudelissimis imperatoribus latam non esse sibi persuadebant. —

Omnia nunc ea scholia, quibus Juvenalis mentio fit, enumeravi. False enim Francke ex. crit. pag. 55 et in schol. ad sat. XVI, 13 de eo aliquid referri arbitratus est. Legitur ibi:

BARDAICVS IVDEX. D. H. *qui quasi inter illos milites militavit habentibus stationem apud Bardos.*

Plerique eis verbis plures corruptelas inesse contenderunt. Atque Francke hanc eorum formam restituit: „qui *Ouasi* inter *alios* milites militavit *habens ibi* stationem apud Bardos.“ Et de Juvenale putat sermonem esse; quod quomodo hoc loco fieri possit ego non possum intellegere. Quid Bardaico iudici cum Juvenale? An ipse Juvenalis Bardaicus iudex nominatur? Immo nec satirae nec scholii verba interpretes recte intellexerunt. Nam in satira coniungendum est „Bardaicus“ cum „calceus“. Bardaicus calceus tegmen pedum est, quo milites induebantur. Hoc autem loco res denotans pro persona denotata dicitur. Bardaicus igitur calceus idem est quod „unus ex militibus“, centurio videlicet, ut in alio ad ipsa illa verba scholio infra explicatur: „BARDAICVS centurio“. Eadem explicatio in verbis inest „qui quasi inter illos milites militavit“, nam pro „*qui quasi inter*“ legendum est „*quisquis inter*“, *irgend einer, welcher.* Quae autem sequuntur „habentibus stationem apud Bardos“ non coniungenda sunt cum eis, quae antecedunt, sed novam glossam, cuius lemma excidit DATVR, exhibent aliamque praebent vocis „Bardaicus“ explicationem. Qui ea scripsit, is voce „Bardaicus“ ad „iudex“, non ad „calceus“ relata poetam milites in Bardorum finibus militantes finxisse putavit. Itaque duo inter se diversissima scholia hoc loco, ut saepius factum est, in unum confluxerunt. De Juvenale nihil ibi traditur, atque si ab Apollinari Sidonio, vitis, quattuor quae attuli scholiis discesseris, nusquam alibi de eo quidquam traditur, nisi forte apud Suidam s. v. Ἰουβενάλιος. Legitur ibi: Ἰουβενάλιος ποιητὴς Ῥωμαῖος. οὗτος ἦν ἐπὶ Δομιτιανοῦ βασιλέως Ῥωμαίων. Ὁ δὲ Δομιτιανὸς ἐφίλει τὸν ὀρχηστὴν πρασίνου μέρους τὸν λεγόμενον πάριν, περὶ οὗ καὶ ἐλοιδορεῖτο ὑπὸ τῆςό Συγκλήτου καὶ Ἰουβεναλίου τοῦ ποιητοῦ. Ὅστις βασιλεὺς ἐξώρισε τὸν δουβενάλιον ἐν Πενταπόλει ἐπὶ τὴν Λιβύην, τὸν δὲ ὀρχηστὴν πλουτίσας ἔπεμψεν εἰς Ἀντιόχειαν, ὅς κτίσας οἶκον καὶ λουτρὸν ἔξω τῆς πόλεως ἐκεῖ τελευτᾷ. Quid ego hic de epitomatore illo loquar? in quem idem cadit quod in

Apollinarem et scholia. Quae hoc loco referuntur, ea ex Malala descripta sunt, sed sunt adeo confusa, ut tanti non sit de eis anquirere. Quod Pentapolis exilii locus fuisse fertur, id nullam mihi dubitationem inicit. Nam sin minus ex iis quae aetatem tulerunt vitis, at ex deperdita aliqua haec notitia hausta est. Perfacile enim factum esse potest, ut vitae a tot librariis temptatae innumerae antiquis temporibus variationes exstarent, quarum paucissima pars ad nos perveniret. Ex eiusmodi igitur vita variata nunc deperdita, in qua Pentapoli Juvenalis exulasse narrabatur, nescio an Suidas (vel Malalas) nomen illud in lexicon suum receperit. Sed de loco exilii hic fusius disceptare non magis supervacaneum quam longum est. Neque enim est, cur coniecturas grammaticorum necessario curiosiorum curemus. Attamen quo magis quam illae coniecturae verae non sint perspiciatur, de exilii qui feruntur auctoribus quaedam disputabo.

De auctore exilii haud minor vitarum quam ceteris in rebus dissensio est. Pleraeque sane Caesaris nomen prorsus reticent; quae autem afferunt, de Nerone Domitiano Traiano dissentiunt. Quare valde profecto mirandum, quod C. Fr. Hermannus, qui a Domitiano Juvenalem relegatum esse vult, ad testium consensum semper recurrit, quem nemo non videt ea in re non magis quam in ceteris exstare. Vitae enim I, III, V (in cod. Bodleiano) nullum nomen tradiderunt; Nero nominatur in vita VII et in schol. ad. VII, 92, Domitiani nomen occurrit in vitis II, IV, VIII (Rühliana) et in schol. ad I, 1. et apud Suidam. s. v. Ἰουβενάλιος. Sola quae restat vita VI Traianum nominat, cuius imperatoris nomen praeterea invenimus in scholio quodam deterioris generis, quod exhibet cod. bibl. reg. Britannicae 15 B. XVIII (olim Bongarsianus) et in ea vita quae ad cetera vitae V respondens, testis est Achaintre, in cod. Mediolanensi 112—353 legitur.

Ac de Nerone nihil disputare satius erit; quo imperante Juv. per aetatem fere puerilem satiras scribere nondum potuit. Domitiano autem duo gravissimae auctoritatis viri, C. Fr. Hermannus de sat. sept. tpp. et G. E. Weberus in adnotationibus ad translationem Germanicam satt. Juv. exilium imputaverunt. Neque tamen principi illi patronus defuit. G. enim Teuffelius (Jahn, Jahrb. 15. Jahrg. 43 Bd. pag. 109 sqq.) unicuique caussae ab Hermanno prolatae apposite impugnavit. Cuius rationes cum lubenter ego amplectar, tum alias puto mihi in promptu esse, quibus momenti aliquantulum inesse facile largiaris. Teuffelius pag. 111 his caussis Domitiano exilium abrogavit. Primum enim levis mitisque poena minime est saevissimi illius imperatoris. Deinde in eo offensio est, quod Juvenalis ex exilio reversus nusquam de eo loquitur, ne in prima quidem satira, qua periculosum satiras scribendi negotium exponitur, quam sub Traiano scriptam esse constat (cf. Synnerberg. l. l. pag. 83 sqq.). Tum Teuffelius miratur, cur poeta ab ipso Domitiano, posteaquam Paridem occidit (v. schol. ad VI, 87) non sit revocatus. Quem ad scrupulum removendum Hermannus l. l, pag. 14 laudaverat schol. ad I, 1, quod in

exilio satiras scriptas esse docet. Sed in ea re bene sentiebat repugnaturum sibi nonneminem. Et merito repugnatur. Nam Paris necatus est a. 83. Ergo Juv. iam ante eum annum relegatus per totum paene Domitiani imperium Roma abfuit, quod si verum est, non potuit tam viridis coloribus perversorum illius temporis morum imaginem in satiris 1—7 exprimere. Idcirco Hermannus se putare dixit „Domitianum etiam post Paridis necem versibus lacessi potuisse, qui veterem sibi ignaviam opprobrarent." Fateor, sed si de vetere sua ignavia cogitaverit, Domitianus non potuit, quin opprobrio illo non tam Paridem, quam semet ipsum castigatum esse crederet. Mitigata autem illa poena, etsi per se naturae et ingenio illius tyranni neutiquam respondet, tamen placere nonnumquam potuit, cum de primoribus aliquem quocum ipsi nec res neque usus esset lacessitum videret, nam Suetonius Dom. cap. 8 refert, eum „scripta famosa vulgoque edita, quibus primores viri ac feminae notarentur, abolevisse non sine auctorum ignominia." Verum enim vero summis cruciatibus dignum putabat, si quis contra semet ipsum aliquid commisisset. Quapropter si illis Juvenalis versibus suam reprehensionem inesse opinatus esset, haudquaquam „*leve et ioculare delictum*" factum esse putavisset. Et alia hic quaestio patet. Quid de satira septima, in qua hodie fatales illi versus leguntur? quam Domitiano regnante scriptam non esse primo oculorum obtutu perspicitur. Quamquam non defuerunt, qui laudes illas temere ad eum conferrent. Velut Car. Schmidtius (D. Jun. Juv. satirarum delectus, Bielefeld 1835) „*cavillatorie*" illic imperatorem laudari arbitratur; quod nulli umquam persuadebit. Quae cum ita sint, Hermannus et Weberus, utpote qui Schmidtii rationi ita adversarentur, ut eidem inter se dissentirent, aliam viam necesse erat inirent. Hermanno igitur l. l. pag. 4 illud vitae VII: „primo carmina edidit, quae postea inseruit . . ." parum critice arripere placuit, ut exiguam illam paucorum versuum satiram iam Domitiano regnante publicatam eoque modo in Caesaris notitiam perlatam esse ostenderet. Id cum statuit, unum et non contemnendum argumentum contrarium neglexit. Exstant enim in Martialis libro VII. duo epigrammata 24 et 91, quorum alterum arctam poetae cum Juvenale necessitudinem testatur, alterum scriptum est de Martialis agello, unde amico nuces saturnalicias mittit. Hoc in carmine (91) facundum appellat Juvenalem, quae appellatio eis VV. DD, qui Juvenalem per Domitiani imperium declamatoriis tantum exercitationibus operam dedisse, nondum in satiris scribendis versatum esse iudicarent, rite semper testimonium suppeditavit. Nam novem priores Martialis libri intra annos 82 et 95 (v. Schneidewin proll. in Mart. pag. III. et Friedländer de tpp. libr. Mart. pag. 10, qui septimum librum a 93 emissum esse demonstrat) conscripti extremis Domitiani annis in lucem editi sunt. Unde cum perspicue intellegamus Juvenalem Domitiano regnante Roma non abfuisse et rationem haud abstrusam contra exilii poenam ab illo irrogatam ducamus, tum nullam iam illo tempore a Juvenale satiram publici iuris factam fuisse pro certo collegimus. Magis vero quam quod Hermannus

illa Martialis epigrammata sprevit, id miror, quod ex hoc fortuito verbo vitae VI. firmum aliquod argumentum depromere voluit. Etenim ipsa ea vita, quae priorem satirarum editionem significare videtur, tamen a Traiano fert Juvenalem urbe depulsum; quod testimonium Hermannus contempsit. Praeterea in vita V, quae quidem eadem fere est ac vita VI, claris verbis exstat „quaedam carmina fecit.“ Vides, quam Hermannus certam rationem in adhibendis vitis non secutus sit, cum pro arbitrio suo alia repudiet, alia arripiat. Rectius certe Weberus egit, cui tamen non minus inpugnandum est. Is Justum Lipsium auctorem laudans l. l. pag. 227 ita exponit, Juvenalem occulte satiras composuisse compositasque non recitasse nisi coram amicissimo auditorio, sed a malevolo aliquo homine proditum suspectum esse redditum, unde effectum esset, ut Paride auctore a Domitiano urbe summoveretur. Ad eam opinionem quominus ego accedam, impediunt imprimis eadem illa Martialis testimonia, quippe quae extremis Domitiani temporibus poetam Romae versatum esse demonstrent. Deinde verisimile non est, ut eo tempore, quo declamationes, cum fere omnes principe ipso literas detestante graviora studia abiecissent, florere iam desierant, ut in tanta igitur temporum acerbitate Juvenalis tam ancipitia poemata recitaret. Sin vero recitavit, sine dubio malevolo nullo admisso eis solis communicavit, quibus liceret confidere. Denique opinio vulgo recepta, qua Juvenalis extra primam satiram quascunque satiras primus liber contineat, eas sub Domitiani imperio conscripsisse creditur, mihi quidem non satis probatur. Nam cum e vocabulo „facundi“, quod est apud Martialem, eum ultimo Domitiani regno a Martiale pro declamatore etiamtum habitum esse cognoscamus, cumque ex taedio pristinorum studiorum insulsorumque poetarum Augusto mense recitantium, quod, posteaquam eo coepit „decurrere campo Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus“ aperte confitetur, clarissime, opinor, appareat, eum in promulgandis satiris minime declamatorum more usum esse: iure meo ea in re coniecturae illi credere videor, quam scriptor vitae IV exprompsit, Juvenalem invehi in cineres Domitiani. Ei sententiae quid tandem obstat? Quod in nonnullis primi libri satiris (ut II, 29—33 aliasque, cf. Synnerberg pag. 59 sqq. et sat. III, cf. Synnerb. pag. 62 sqq.) res sub Domitiano gestae narrantur, ea in re nihil est, ut iam Domitiano regnante scriptas eas sumamus. Illas enim res etiam Nerva imperante memoria tenebant homines. Neque refutatur ea sententia, quod in satiris illis indicia nulla reperiuntur, quae Domitiani imperium excedere eas arguant. Quamquam id in satiras II et III tantum quadrat, quae plane eiusmodi indiciis carent, non item quadrat in satiras IV, V, VI, quae plures posterioris temporis notas exhibent. Cur non Nerva regnante ac recentissima iniquae tempestatis memoria scriberentur? Multo profecto probabilius est transacta demum crudelissimi imperatoris aetate indignationem illam, quae antea nisi in intimo animi recessu aestuare non potuisset, vehementissime efferbuisse et cuncta tum vitia inaudita libertate castigasse, quam satiras illas splendidissimas carptim et occulte perfectas per multos annos,

atque etiam per biennium illud, quo Nerva, optimus gravissimusque senex, regnum teneret, retentas fuisse scrinio. Id enim praecipue argumento mihi esse censeo: si sub Domitiani regno inchoatae maximamque partem perfectae fuissent satirae, Juvenalis felicem illam Nervae aetatem non praetermisisset, quin eas ederet. Nunc quoniam Hermannum et Weberum refutare studui, unum habeo quod dicam. Quo minus testium consensus, quem Hermannus esse putavit, ad criminandum Domitianum valet, eo magis valet silentium omnium Juvenali aequalium auctorum, ut crimine illo liberetur. Neque enim aut apud Tacitum in Agricola ullam invenimus exilii mentionem, id quod valde mirandum, praesertim si Juvenalis, ut idem Hermannus iudicavit, in Britannia exulavit, aut Suetonius aut Plinius Secundus aut Quinctilianus aut Martialis quidquam de eo referunt. Nimirum quod Quinctilianus et Martialis silentium agunt, id fortasse pro mediocri documento habebitur, cum Domitiani eos studiosiores fuisse notum sit. Quamquam Martialis libri inde a nono defuncto Domitiano emissi sunt (v. Schneidewin proll. pag. III). In libro autem XII, qui imperante Traiano publicatus est, epigramma inest (18), in quo poeta cum in patriam suam se pervenisse Juvenali Romam scribit, de illa eius miseria verbum non facit; quam si Juvenalis perpessus erat, amici erat eum miserari. Suetonius vero et Plinius Secundus, quorum alter ex more plurimorum illius temporis historiographorum varias praecipue de Caesaribus narratiunculas tradere solet, alter tam acerbo odio Domitianum persequitur, ut in gratiarum actione sua Traiani laudationem maxime carpendo Domitianum, quin etiam quaedam iuste ab eo facta in crimen vertendo effecerit (cf. Joh. Dierauer, Beiträge zu einer kritischen Gesch. Traj. Berl. 1868 excurs. pag. 213 sq.), verum tamen illi, si a Domitiano Juvenalis exilii poena affectus esset, non tacuissent.

Postremum hoc loco de exilio Scotico pauca disputanda sunt, quod duae vitae inter se simillimae V et VI contra ceteras vitas testantur. Id testimonium C. Fr. Hermanno perquam opportune obtingit, nam et in commentatione saepius laudata: de tpp. sat. sept. et in praef. ed. Juv. summo opere contendit, ut ei uni credendum esse demonstret. Ac primum quidem hic rursus mihi critica Hermanni ratio improbanda est. Nam cum in tanta vitarum discrepantia nullam praeferendam esse suo iure censeat, id peccavit, ut, prout in opinionem suam cadat, aliud aliunde nomen sumat et ex arbitrio suo hic vera illic falsa hic historiam illic coniecturam legi statuat. Ut in vita IV Domitiani nomen vere traditum esse vult, exilium Aegyptium non item. Contra vitas V et VI laudat, quibus exilium Scoticum tueatur idemque vitam V vituperat, quod Traiani nomen affert. Cur tandem hic consensum testium, cui, ubi de Domitiano quaerit, tantum auctoritatis attribuit, plane neglexit? Duabus enim illis vitis exceptis Aegyptum omnes nominant testes. Deinde nescio an in voce „*Scoti*“ vestigia recentioris aetatis deprehendamus, cum quidem ante Claudianum semper Caledonios non Scotos nominatos esse notum sit (v. Kempf

l. l. pag. 71 opp. C. Fr. Hermanno Zeitschr. f. d. Alt. 1844 pag. 73). Ac vero Pinzgero (Jahrb. f. Phil. 1835 pag. 265) vita VI tantam suspicionem movit, ut eam ab ipso Omnibono, cuius e codice edidit Achaintre, suppositam esse crederet. Equidem quamquam id Pinzgero concedere dubito, tamen duas illas vitas omnibus, quae exstant, iuniores esse persuasum habeo, praesertim cum in codicibus infimae notae legantur. Alteram ex altera expressam esse si quis vel obiter inspexerit, non potest in oculos non incurrere, quarum utra antiquior sit, supervacaneum est examinare. Unde autem auctor Scotos sumpserit, id recte iam Düntzerus (Jahn. Jahrb. Suppl. 6 pag. 378) cognovit, qui contra Franckium (ex. crit. pag. 45) sat. XV, 112 „de conducendo loquitur iam rhetore Thule“ laudantem maiore cum probabilitate vv. sat. II, 159—161: „arma quidem ultra Litora Iuburnae promovimus et modo captas Orcadas ac minima contentos nocte Britannos“ illius coniecturae ansam dedisse arbitratur. Inde Juvenalem in Britannia fuisse vitae auctor effecit, mihi autem ipsa ea verba ostendunt, eum vix umquam Britanniam vidisse, neque enim me audire memini, Britannorum noctes multo magis quam nostras aut Italorum contractas esse. Immo vereor, ne Britanni „minima nocte contenti“ simillimi sint eis Hyperboraeis, de quibus Plin. H. N. II, 89 fabulatur. Nam etiam sub imperatoribus regiones septentrionales Romanis parum cognitas fuisse notum est, cf. Tac. Germ. c. 45 et Plut. de def. orac. c. 18 pag. 419 F., Juvenalis autem, si umquam in Britannia fuisset, talium de ea errorum fabellarumque socius non esset.

Sed eximium exilii Scotici indicium Hermannus in praef. ed. pag. VII inscriptione aliqua Aquini inventa suppeditari putavit. Legitur ea in Mommsenii Inscriptt. Regn. Neap. 4312 sic:

cereRi SACRVM
d. iuNIVS JVVENALIS
tRIb COH. I DELMATARVM
IIVIR QVINQ. FLAMEN
DIVI VESPASIANI
VOVIT DEDICAVitqVE
SVA PEC

Miror equidem, quod ex quo tempore hic titulus notus est, tanta ei semper ab omnibus, qui de vita Juvenalis scripserunt, vis tribuitur atque auctoritas. Vehementer profecto ei in dialectica peccant. Nam quaecunque inde fiunt conclusiones, eae, cum proposita absint, disserendi elegantia carent. Quid enim? Verba si accurate inspicimus, quomodo poeta dicitur, cum flamen nominatur? An nemo umquam Aquini Juvenalis vocabatur nisi poeta Dec. Jun. Juvenalis? Praenomen in titulo deest. Quando scriptus sit, quis est qui affirmare velit? Ergo quid inde efficiamus de Juvenale poeta? Praeterea observandum est, ipsa illa verba „trib. coh. I

Delmatarum“ per coniecturam a Mommsenio ipso restituta esse pro insanis illis, quae in inscriptione inveniuntur:

RI CONTELNATATVM

Fieri potest, ut Mommsenius rite ea emendaverit. Atque etiam illud, etsi longe alia mihi mens est, concedam hic non alium quemquam Juvenalem, sed poetam dici: quid inde cogi efficique putas? Nempe nihil aliud, nisi ut Juvenalis aliquando munere militari functus sit (cf. Ribbeck. praef. ed. Tauchn. pag. XI). Sin autem de exilio inde aliquid confici putemus, ut Hermannus l. l. (cf. Synnerberg. l. l. pag. 53), valde erramus. Neque vero de Caledonia vel Scotia ex titulo quidquam collegere licet. Sane ex diplomatis compertum habemus (v. Hübner. Rhein. Mus. Tom. XI, 1857 pag. 30) a. 106 et 124 primam cohortem Delmatarum in Britannia tetendisse. Sed moneo numerum I a Mommsenio suppletum esse ea una de caussa, ut ipsius verba afferam, „quum cohors prima Delmatarum saepissime (?) nominetur et facillime exciderit I.“ Deinde vereor ne audacius sit, si is, qui in Domitianum exilium conferat, huic testimonio multam auctoritatem assignare velit. Non enim si in diplomatis legimus primam coh. Delm. a. 106 et 124 in Britannia fuisse, idcirco ea iam sub Domitiano locum ibi habuit. Nam permulta sunt exempla, quibus quam saepe cohortes auxiliariae locum mutaverint comperiamus (v. Marquardt. Röm. Alterth. T. III, P. II pag. 375 et adn. 2130). Quodsi titulum illum, sicut a Mommsenio correctus est, accipiamus militiamque Juvenalis cum exilio coniungamus, non Domitiani sed Traiani vel Hadriani regnum indicetur; de quibus nunc quaeramus.

In Traianum sine dubio laudes illae in sat. III conferendae sunt. Quare simplicissime et maxima cum specie veri in eum exilium, nisi ficticium esset, reiceretur. Atqui nescio quomodo factum est, ut nulla fere vita de eo cogitaverit. Quae autem Traianum nominat (VI), ea multam nobis movet suspicionem. Legitur enim ibi: „in Paridem panthomimum, qui in deliciis apud Traianum imperatorem habebatur, primo carmina edidit.“ Quid Traiano cum Paride? Gravis haud dubie hic error deprehenditur. Eam ob rem Hermannus in praef. ed. Juv. pag. V Traiani nomen ex voce *„tyranni“* (vita V) false lecta ortum esse statuit; qua de coniectura iudicium facere nolo. Verum ineptissime Synnerbergius Traiani nomen ex adnotationibus quibusdam grammaticorum ad versus nonnullos sat. VII factis sumptum esse coniecit. Quae quorsum pervenerunt? Hodie quae exstant ad sat. VII scholia, ea perversissime ubique nominant Neronem (v. ad vv. 1. 20. 92). Num igitur verisimile est scholia illa veteribus etiam vetustiora tam plane evanuisse, ut ne in uno quidem libro msc. vestigium eorum exstet? Neque vero specimen Synnerbergio defuit. Laudat enim pag. 39 scholion ex cod. Bongarsiano, cuius verba haec sunt: „hic autem tangit Traianum et quod cantoribus eius praefecturas et tribunatus donet, quod Traianus sic ultus est, ut ipsi Juvenali daret

praeposituram belli Scotici et numquam ei dedit successorem, qui eum adiuvaret, ubi cotidie incursus Scotorum est atque ut sciret iratum principem dans ei codicillos dixit, ecce . . .". Hoc scholion, quod ipsa latinitate recentissimae aetatis esse arguitur, Synnerbergius pro exemplo veterum bonorumque scholiorum habuit minime curans, quod in deterrimo codice et inter scholia omnium levissima invenitur, cum contra unicuique primo oculorum obtutu a librario aliquo notitia facta vitae V id infima aetate confectum esse patescat. Quae cum ita sint, sic satius erit iudicare, sero demum grammaticos de Traiano cogitare coepisse; quo autem remotiores essent de Juvenalis vita rumores, eo minus homines eas res quas scire non possent curasse; eos autem, qui pro incertis certa tradere mallent, omnes in errores incidisse, ut Neronem plerique exilii auctorem nominarent, velut ipsa scholia vetera. Haec res in eam me sententiam adduxit, ut non ita diu post Juvenalis mortem inter homines memoriam eius obscuratam esse et plane evanuisse dicerem.

Attamen si umquam exul fuit Juvenalis, nemo alius eum relegavit nisi Traianus. Quo perspecto recentiores, Voelckerus: Juvenal, ein Lebens- und Charakterbild aus der römischen Kaiserzeit, Elberfeld 1851 pag. 105; Synnerbergius l. l. pag. 40 sqq. cf. pag. 77 sqq. atque etiam antehac Teuffelius l. l. pag. 307, qui tamen nunc commutata sententia de Hadriano cogitare mavult, (de quo infra videbimus) multas et varias caussas quaesiverunt et invenisse sibi visi sunt, quibus Traianus relegationis convinceretur. Sunt autem fere hae: Traianus pantomimum, Pyladem nomine, habuit et mimorum populariumque delectationum valde amans et studiosus fuit. Deinde poenae genus ad mores eius multo magis consentaneum est, in quo nihil aliud nisi morositas quaedam cernatur. Denique Synnerbergius l. l. pag. 80, C. Fr. Hermannus de sat. sept. tpp. pag. 19 modicas quas vocat laudes in Traianum quam in Hadrianum, ut qui maiore laude dignus esset, conferre maluerunt. His de caussis una ea quam primam attuli nescio an valere aliquid cuipiam videatur. Revera Traianus et ludorum et Pyladis amantissimus fuit, v. Frontonem de princ. hist. 5, 11. 13 et Dionem Cassium LVIII, 10: καὶ τοὺς ὀρχηστὰς ἐς τὸ θέατρον ἐπανήγαγε καὶ γὰρ ἑνὸς αὐτῶν τοῦ Πυλάδου ἤρα sed tantum eum saltatori illi, quantum Paridi suo Domitianum, indulsisse credere non licet. Ergo nec satirae sept. vv. 89 sqq. de se accipere potuit; quod multo magis veri similitudine carere putaveris, si quam falsae sint ceterae quas modo attuli caussae perspexeris. Unde enim morosum Traianum fuisse comperimus? Immo contrarium e veteribus documentis elucet. Narrat enim Dio Cassius LXVIII, 5: „τῇ δὲ γὰρ φύσει οὐδὲν οὔτε διπλοῦν οὔτε δόλιον οὔτε τραχὺ εἶχεν, ἀλλὰ τοὺς μὲν ἀγαθοὺς ἐφίλει καὶ ἐδεξιοῦτο καὶ ἐτίμα, τῶν δὲ ἄλλων ἠμέλει et ibid. 6: πλεῖστον γὰρ ἐπί τε δικαιότητι καὶ ἐπ' ἀνδρείᾳ τῇ τε ἁπλότητι τῶν ἠθῶν διέπρεπε. τῷ δὲ γὰρ σώματι ἔρρωτο, δεύτερον γὰρ καὶ τεσσαρακοστὸν ἔτος ἄγων ἦρξεν, ὡς ἐξ ἴσου πάντα τοῖς ἄλλοις τρόπον τινὰ πονεῖσθαι καὶ τῇ ψυχῇ ἤκμαζεν ὥστε μήθ' ὑπὸ νεότητος θρασύνεσθαι, μήθ' ὑπὸ γέρως ἀμβλύνεσθαι. καὶ οὔτ' ἐφθόνει οὔτε καθῄρει τινά, ἀλλὰ καὶ πάνυ πάντας τοὺς

ἀγαθοὺς ἐτίμα καὶ ἐμεγάλυνε, καὶ διὰ τοῦτο οὔτε φοβεῖτό τινα αὐτῶν οὔτε ἐμίσει. διαβολαῖς τε ἥκιστα ἐπίστευε καὶ ὀργῇ ἥκιστα ἐδουλοῦτο, τῶν τε χρημάτων τῶν ἀλλοτρίων ἴσα καὶ φόνων ἀπείχετο.“ Id Dionis testimonium nulla ex parte refutatur. Atque audiamus Traianum ipsum de miti suo ingenio apud Plinium ep. X, 86: „Potuisti non haerere, mi Secunde carissime, circa id, de quo me consulendum existimasti, quum propositum meum optime nosses, non ex metu et terrore hominum aut criminibus maiestatis reverentiam nomini meo adquiri“. Eiusmodi imperatorem ita morosum fuisse, ut propter duos versus poetam atrociter iratus ex urbe depelleret, nemo mehercle credere potest. Praebuisset autem sese non modo morosum, sed plane insanum, cum quidem in ipsa illa satira a Juvenale se laudari videret. Modicas qui laudes illas esse contenderunt, eis minime ego adstipulari possum. Panegyricus enim satira non est, quae in transcursu tantum, ut dissimilitudinum coniunctio evadat, eis laudes tribuere solet, qui, cum plerique alii res utiles ac bonas contemnant, optime de eis merentur. Itaque et satira septima in Traianum sinceras cumulat et minime affectatas laudes ea sola de caussa, ut quantum eius literarum hominumque literatorum favor a proceribus differat perspiciatur. Quod ut assequeretur, nihil erat cur pluribus et disertioribus laudibus eum efferret. Atque satis sunt illae magnae, cf. v. 1. „et spes et ratio studiorum in Caesare tantum“, v. 17: „nemo tamen studiis indignum ferre laborem Cogetur posthac“ v. 20: „hoc agite, o iuvenes, circumspicit et stimulat vos Materiamque sibi ducis indulgentia quaerit“ v. 31: „spes nulla ulterior“. Et ne Hermanno quidem adstipulandum est, qui censet (de sat. sept. tpp. pag. 19) „laudes illas τοῦ ἀφοσιοῦσθαι ἕνεκα ut Graeci aiunt praemissas esse, ne communi omnium reprehensione Caesarem quoque, cuius laedendi caussas procul haberet, complecti videretur“. Stare igitur in eo oportet, quod sit de laudibus imperatoris a me iudicatum. Jam vero a versu 36 tristem omnium studiorum conditionem ita explicat poeta, ut aperte Neronis semper et Domitiani imperium ex more suo (v. sat. I, 170) designet. Ex illo enim tempore omnia exempla omniaque nomina depromit, inter quae observa ne unum quidem*) inveniri, quo vir etiamtum vivus significetur. Hunc Juvenalis in satira prima professus morem ita semper tenet, ut ubique de mortuis quasi vivis loquatur. Quomodo igitur Traianus ipsos illos versus, quippe qui perspicue Domitiani tempora carperent eidemque mediae suae laudi interpositi essent, in se dictos esse acciperet? Quid? posteaquam in senatu a Plinio Secundo his verbis laudatus sit (Plin. paneg. 47). „Ut sub te spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia, quae priorum temporum immanitas exiliis puniebat, quum sibi vitiorum omnium conscius princeps inimicas vitiis artes non odio magis quam reverentia relegaret,“ num paullo post (ita enim cum alii tum Hermannus credidit, satiram septimam non ita diu post

*) De Quinctiliano (v. 186 sqq.) tum mortuo v. C. Rothium in praef. ed. Sueton. pag. LXXXVII et Synnerb. l. l. pag. 76.

Plin. Sec. Panegyricum editam esse) in primordiis sui imperii eum eadem qua crudelissimos priores principes immanitate usum innocentem poetam exilio punivisse censes? Nihil ego minus verisimile esse existimo. Verum consideremus et alia. Se notari Traianus credere non potuit, nisi ante editam illam satiram, in primo igitur imperio, nimiae suae in Pyladem indulgentiae specimen dederat. Atqui compertum habemus Traianum, simulatque imperator factus esset, pantomimos sustulisse (Plin. paneg. cap. 46), quos in primo demum Dacico triumpho a. 102 (v. Dierauer: Geschichte Traians pag. 92) restituit. Cassius enim Dio LXVII, 10 scriptum reliquit: „Τραϊανὸς δὲ τά τε νικητήρια ἤγαγε καὶ Δακικὸς ἐπωνομάσθη, ἔν τε τῷ θεάτρῳ μονομάχους συνέβαλε (καὶ γὰρ ἔχαιρεν αὐτοῖς) καὶ τοὺς ὀρχηστὰς ἐς τὸ θέατρον ἐπανήγαγε, καὶ γὰρ ἑνὸς αὐτῶν τοῦ Πυλάδου ἤρα.“ Satiram autem VII ante triumphum Dacicum editam esse et Hermannus credidit et est re vera satis probabile, quia de triumpho illo cunctis, quos antea Roma viderat, splendidiore nulla in ea mentio occurrat, quam Juvenalis in laude Caesaris plane praetermittere non debuit. Illo ergo tempore, quo satira publicata est, Traianus et pantomimos magis odisse quam favere eis videbatur, nec, ut ex Dionis loco nescio an conicere liceat, Pyladis amans erat. Id certe constat, Traiani studium „histrionum ceterorumque circi aut harenae artificum“ (Fronto de princ. hist. 5, 13; Niebuhr 249) posterioribus annis maius evasisse, ita ut (Fronto l. l. § 11) bello Parthico exardescente „histriones ex urbe in Suriam acciret“. Quae cum ita sint, parum verisimile est aut Juvenalem versibus illis Traianum notare voluisse aut Traianum eos, quasi in se scripti essent, accepisse, quando quidem eo tempore iam publicati erant, quo quantopere ille pantomimorum diligens esset, nemo opinari posset. At vero id, inquit, Traiano suspicionem movit, quod Juvenalis versus illos ex pristina aliqua satira in septimam receperat. O di boni! utinam tandem aliquando VV. DD. fabulae illi fidem tribuere desistant, cui quam verum non insit hic aperte iam cognoscitur. Nam duae res haud exiguas dubitationes nobis iniciunt. Primum enim quaerimus, unde compererit Traianus, satiram illam paucorum versuum iampridem in Domitianum factam novaeque satirae VII infertam esse; deinde quibus caussis instinctus sit Juvenalis, ut versus Domitiani temporibus elaboratos Traiano nuper imperium adepto novo carmini et ei quidem laudes Traiani continenti inferret. Utrique quaestioni difficillime est responsu. Neque enim Traianus scire quidquam de exigua illa satira potuit, nisi si antea ea iam publicata erat. Quod quando factum est? Nimirum aut Domitiano aut Nerva regnante. Sed cur sub Domitiani imperio de editione satirarum cogitari non possit, id cum supra probe, opinor, diiudicatum sit tum hoc loco novo argumento comprobari posse censeo, quod ut ad Domitiani tempora ita ad Nervae quoque aetatem valere aliquid appareat. Depromitur autem ex satirae primae argumento et proposito. Eam enim sub Traiano editam esse nemo est qui neget, neque quemquam fugit poetam ibi de principi

satirarum suarum editione praefari. Ecce nodus! Eiusmodi satirarum prooemium scribere sub Traiano poeta non potuit, si aliae iam sub Nerva aut adeo sub Domitiano satirae eius exierant. Quid? pristinae satirae unde notitiam fecit Traianus? Et quid alteri quaestioni respondebis? Quid est quod Juvenalis in satiram septimam priscos versus inseruerit? „In medio", inquit Synnerbergius pag. 80, „si quid iudico, relinquendum est, quo consilio ductus Juvenalis versus illos in Paridem conscriptos posteriore tempore in septimam satiram inseruerit". In medio relinquendum? Immo si caussa revocandae brevis illius satirae indagari nequit, universus ille grammaticorum ioculus reiciendus atque explodendus est. Extremum est, ut ad Martialem testem recurram. Is sub Domitiano, is sub Traiano Juvenalem Romae fuisse testatur. Nam duodecimus eius epigrammatum liber Traiano regnante post a. 102, quo anno triumphus Dacicus celebratus est, exiit. Eius autem libri epigramma 18 Romam Juvenali scriptum est. Ergo Juvenalis, cum post editam satiram VII Roma non abesset, a Traiano relegatus non est.

His disputatis finitam esse puto de Traiano disquisitionem. Ac quoniam nec Domitiano nec Traiano exilium imputandum esse intelleximus, iamiam paucis verbis opus est, ut eos refellam, quibus Hadrianum pro exilii auctore habere placuit. Vitarum quidem testimoniis caremus, sed earum silentium nullius est momenti. Itaque recentiores non, si neglectis vitis de Hadriano cogitarunt, idcirco vituperandi sunt. Imprimis Heinrichius II, 21 et O. Ribbeckius in praef. ed. pag. XII (cf. der echte und unechte Juvenal pag. 69) relegationem ad Hadrianum detulerunt. Sed Heinrichio impugnatum iam est a C. F. Hermanno l. l. pag. 19, a quo caussas ad persuadendum nobis maxime idoneas sagacissime inventas esse patet. Universas eas attulit Teuffelius l. l. pag. 112 sqq. Quare ego ita earum delectum adhibebo, ut nonnullas tantum easque gravissimas hic afferam. Ac primum de histrione sub Hadriano potenti nihil constat; quem enim secum semper habere solebat Hadrianus et vita defunctum muliebriter flevit summisque coluit honoribus, Antinous pantomimus non fuit, sed adolescens venustissima corporis forma insignis, „nimia Hadriani voluptas" (Spart. vit. Hadr. cap. 14); quem tamen nunquam ut Nero et Domitianus histriones suos et ut ipse Hadrianus Attianum vel Tatianum (Dio Cass. LXIX, 1), hominem quemdam ex equestri ordine, qui quondam tutor eius fuerat, (Spart. vit. cap. 4 cf. cap. 9) imperii consortem fecit. Deinde nimium temporis inter versus illos fatales primum factos et septimae satirae insertos interest, neque caussa ulla inserendi cogitari potest; tum libri quarti satirae, quas sub Hadriano scriptas esse certum est, tam diversum sapiunt furorem satiricum, ut septimam satiram maiore temporis intervallo ab eis abesse appareat. Omnes hae caussae plus momenti habent, quam ut quisquam refragari eis possit, neque plura eis addantur necesse est. Unum autem hoc moneo.

Sex satirae I—VI cum initio Traiani imperii editae sint, videant ei, qui laudes in septima satira exstantes in Hadrianum conferunt, ne quid incredibile nos credere iubeant. Excogitanda enim eis una saltem caussa erit, cur Juvenalis per totum Traiani imperium prorsus tacuerit, quod vereor ne umquam contingat.

Jam pauca hoc loco disputanda mihi sunt de ea sententia, quam L. Friedlaenderus nuper protulit in dissertatione, quae est „de Juvenalis temporibus" (Regim. 1877). Is cum ex nova quadam Sat. XIII v. 17. interpretatione tandem aliquando certum aliquid de Juvenalis aetate effecisse videatur*) et quod Juvenalis ad mediam fere aetatem declamasse dicitur, id „ex vetere proboque fonte haustum esse" censeat, nullam poetae satiram ante annum 107 editam esse docet; satirae autem septimae maximam partem iam sub Traiano finitae primo Hadriani dominationis anno prooemium 1—35 praetextum esse contendit (cf. eiusd. auct. Sittengeschichte Roms III, pag. 411). In Hadrianum igitur et Friedlaenderus laudes illas refert, tamen eum exilii auctorem esse negat. Ac de exilio vir ille doctus non habere videtur quod liqueat. Cum enim „exilii locum ac tempus incertum esse" concedat et in universum tantum assentitur Borghesi, qui in adnott. ad Juv. (Oeuvres complètes V, 513—516) Juvenalem a Crispino, sub Domitiano in praefectura praetoris Cornelii Fusci collega, (intra annos 92—101) Roma expulsum esse exposuit, tamen caussam exilii in versibus sat. VII, 90 sqq. quaerendam esse iudicat („dubitare vetat consensus testium"!) Id nescio quomodo percipiam. Versus illi in satira VII leguntur, quae a. 117, ut opinor, scripta est. An Juvenalis cum prooemium praeponebat etiam priscos illos versus ei infersit? Dictum id apud Friedlaenderum non inveni, sed ea fortasse est eius opinio. At vereor ut quisquam crediderit, eos versus, propter quos olim ex urbe summotus esset, annis fere 20 post in novam satiram receptos esse. Qua re commotus quid spectans eos inseruerit, scire pervelim. At caussa inserendi omnino nulla exstat, nisi forte poeta se ipsum, cum propter illos versus olim ex urbe summotus esset, priorum temporum iniquitatem experientia didicisse dicturus fuit. Sed cum nihil eiusmodi dicat, versus illos numquam antea relegationis ansam dedisse manifestum est. Ribbeckii longa refutatione opus non est. Is aliam rationem enucleavit, qua ab Hadriano esse exilii poenam irrogatam comprobare studeat.

---

*) Friedlaenderus quae vss. 15 et 16 leguntur: „stupet haec qui iam post terga reliquit Sexaginta annos Fonteio consule natus" non de Calvino, ut omnes adhuc interpretatores statuerunt, sed de poeta ipso intellegenda esse dicet. „De se, inquit, loquitur Juvenalis, se stupere dicit, quod amicus casum tam aegre ferat — . . Se igitur poeta Fonteio consule natum esse verbis disertis dicit, i. e. 67 p. Chr." Eam explicationem falsam ego esse iudico, cui ex mea sententia imprimis obstat pluralis *„haec"* i. e. eiusmodi res, ut ad fraudes, mala, „fortunae acervum" quem antea commemorat, poeta respiciat. Si id, quod vult Friedl. dicere voluisset, *hoc* non *haec* scribere debuit.

Juvenalem enim statuit sub Hadriani imperio satiras denuo edendas curavisse, qua in editione exiguam illam satiram ab eo repetitam et septimae satirae intextam esse coniectat. At primum de altera editione nihil constat, deinde quod non debuit, explicare omisit, cur Juvenalis sub Hadriano versus illos amplius tribus decenniis antea factos ex tenebris depromere voluisset. Verum de his caussis desperandum esse ex eis, quae paullo ante disputata sunt, elucet.

Restat ut hic declarem quid de ea opinione sentiam, quam G. Teuffelius a quo iam supra dixi priorem sententiam ita commutatam esse, ut hodie non iam Traianum sed Hadrianum exilii auctorem fuisse affirmet, aliquot abhinc annos protulit (Stud. u. Charact. pag. 412). Is insistit eo de quo supra egimus Apollinaris loco, ubi verbis „ad vulgi tenuem strepentis auram“ aliquid inesse censet. Teuffelii verba haec sunt: *Hadrians bekannte Leidenschaft für Antinous macht es glaublich, dass er auch für einen histrio schwärmen konnte . . . . Die Schwäche, welche der Kaiser für einen histrio hatte und die sich wohl auch manchmal bei Stellenbesetzungen bekundete, gab dem Publicum Veranlassung einst öffentlich im Theater jenem histrio die bezeichneten — längst gedichteten und veröffentlichten, aber nun durch ihre Anwendbarkeit auf die Gegenwart besonders bekannt und populär gewordenen — Verse der 7. Satire zuzurufen, worüber derselbe so aufgebracht war, dass er dafür an dem Dichter, so unschuldig er an der Sache war, Rache nahm und bewirkte, dass derselbe unter glimpflichem Vorwande — militärischer Dienstleistung — aus Rom entfernt wurde.* — Plura habeo, quae contra hanc argumentationem dicam. Ac primum quidem, si Antinoum Hadrianus diligeret carumque haberet, eum et histrionis quoque studio ardere potuisse nego; quod erat Teuffelio demonstrandum. Neque vero Hadrianum, ut erat vanus, obstinatus, nimius sui aestimator, eum fuisse putaverim, qui histrioni alicui, quamvis arte eius delectaretur, concessurus esset, ut in negotia publica se interponeret. Id ne Antinoo quidem indulsit. Quod autem Attianum imperii affinem esse sinebat, alia res est. Nam homine aliquo virtute cognita et spectata fide amplissimo, qui consilio et sapientia rempublicam regat, unicuique principi opus est, consiliis uti cuiuslibet artificis non est nisi imperatoris inutilis atque perditi. Atque histrio ille profecto solito plus apud Hadrianum potuit, si vulgus minime in eo genere ad offensionem accipiendam molle convicio in theatro et acclamatione, quantopere in invidia esset ei significavit. Quod si histrioni alicui accidisset, nomen eius ad nos perlatum esset. Deinde temerarium est et anceps, cum testimonia nulla exstent, Romanos Hadriani temporibus adeo Juvenalis satirarum gnaros fuisse sumere, ut illum in theatro strepitum non admiremur. Contra ego illis temporibus Juvenalis satiras parum cognitas fuisse demonstravisse mihi videor; argumenta velim proferantur quibus refellar. Accedit, ut illi Apollinaris versus, quae est verborum ambiguitas, vix idonei sint, ex quibus certi aliquid efficiatur. Quare

qui sana et considerata iudicandi ratione utitur, longe aberit ut nimia inde conficiat. Si Juvenalis, quod subdubitans ego concedere ausim, ibi dicitur, „tenuem vulgi strepentis auram“ nihil aliud esse iudicaverim, quam „tantum successum“, de quo vitae loquuntur, ex quibus Apollinaris, poeta doctissimus, notitiam illam sumpsisse putandus est.

Jam vero Teuffelius eumque secutus A. Weidnerus: D. Jun. Juvenalis saturae erklärt Leipzig 1873 pag. 21 aliud ex eodem Apollinaris loco argumentum, quo Hadrianum exilii auctorem esse ostenderetur, depromi posse arbitrati sunt. Ei verba „consimili casu“ ita interpretantes, ut idem sint quod „aeterno reatu“ poetam ab Hadriano in exilium missum numquam Romam redisse collegunt; qua de interpretatione non est ut longius disputem. Ex illo enim Apollinaris loco omnino nihil collegere licet, quia neque de quo poeta Apollinaris cogitaverit, satis constat neque argumenta proferri possunt, quibus eum certiore aliquo auctore, quam vitis fide plane indignis usum esse comprobetur. Nam in exilio mortuum esse Juvenalem etiam in vitis nonnullis scriptum est.

Nunc cum rationes subducimus, in eam nos sententiam adduci videmus, ut exilium pro ficticio habeamus. Sed ita non ego primus iudico, auctoribus utor V. Francke ex. cr. pag. 42 sqq., H. Düntzero: Neue Jahrb. Suppl. VI. pag. 376 sqq., C. Kempfio l. l. pag. 64: „de satira XV, quae sub Juv. nomine circumfertur“. Ex eis unus Kempfius vere collegendo rem rite expedivit. Qui cum exilium a grammaticis commentum esse putet, satiram XV Juvenali abiudicat. Huius enim satirae auctor se Aegyptum adisse fatetur v. 45. Cum igitur vitae omnes fere exilium cum peregrinatione Aegyptia coniungant, quando quidem exilium fictum est, pro vera haberi non potest. Id si ad vitas spectamus ita se habet; sed neglegere eas licet. Proinde qui deverticula quaesiverunt, audiendi sunt. Fuerunt igitur, qui Salmasii (Exerc. Plin. pag. 451) rationem amplexi Juvenalem putarent „animi caussa καὶ τῆς ἱστορίας χάριν“ iuvenem in Aegyptum iter fecisse. Cui Salmasii sententiae cum alii tum Heinrichius in summario satirae XV proposito et C. Fr. Hermannus in rec. C. Kempfii libelli accesserunt. Propriam viam ingressus est V. Francke ex. cr. pag. 107 sqq. probante G. Hermanno, qui nescio an auctor discipuli sui sententiae sit. Is non modo exilium, sed etiam iter Aegyptium ficticium esse iudicans, ne satira XV Juvenali abiudicanda esse videatur, versus 44—48 „horrida — titubantibus“ e textu eicit. Neutri opinioni assentire possum. Examinemus primum Salmasii sententiam.

Num poeta flagitium Aegyptium ita narret, tanquam oculatus testis fuerit, non videtur dubitandum. Versibus enim 26—29 eo, opinor, poeta spectavit, ut semet ipsum, qui quae narraturus esset non solus vidisset, Ulixi opponeret, qui earum rerum, quas adspexisse se simularet, testem nullum dicere potuisset. Sed

hoc minoris momenti esse concedo. Graviores autem sunt vv. 44—48: „horrida sane Aegyptus, sed luxuria, quantum ipse notavi, Barbara famoso non cedit turba Canopo.“ Obiter videlicet hos versus inspicienti nihil ex eis conficiendum esse videbitur, nisi ut Juvenalis Aegyptum aliquando perlustrans barbarorum luxuriam Canopo non cedentem animadverterit. Sed observemus vocem „turbae“, quae (cf. v. 61: „rixantis turbae“, v. 81: „victrix turba“) de utraque gente infesta usurpatur. Ergo poeta et luxuriam et crudelitatem Ombitarum ipse adspexisse videtur, quod probabilius etiam fit, si quam accurate singulas res narraverit, consideres et talium enuntiationum rationem habeas, qualis est v. 56: „adspiceres“ .., qua forma dubito num uti potuerit qui non ipse res illas adspexerat. Atqui consulem Junium v. 27 alium esse negant, nisi Q. Junium Rusticum, Hadriani III consulis (p. Chr. 119) collegam. Quod si ita est, sumendum nobis est, Juvenalem iam ad summam senectutem provectum animi caussa peregrinatum esse, quo nihil absurdius. Neque aliter res se habet, si cum Jahnio, Hermanno, Ribbeckio lectionem probas nonnullorum codicum, in eis Pithoeani, qui formam exhibent „Junco“. Nam Juncus ille consul suffectus fuisse fertur a. 127. Sin vero magis alicui placuerit de Junio Appio (vel Oppio) Sabino cogitare, eum Francke l. l. pag. 12 argute disputando monet, Junii nomen ei per errorem inditum esse. Atque cui Francke non persuaserit, eum fasti (cf. Döllen. l. l. pag. 270) Junium illum, quem vocant, una cum Domitiano X consule a. 84 consulatu functum esse monebunt, i. e. eo tempore, quo Juvenalem verisimile est consilio vix inito satiras scribendi declamatorum etiamtum scholas frequentasse. Itaque carmen, si ille in eo Junius significatur, satira certe Juvenalis non est. Enimvero non est satira. Iam sin minus satira, at declamatio Juvenalis esse potest. Quid ais? Declamationem Juvenalis publicavit? Minime. An post mortem eius alius in publicum eam emisit? Cur idem non alias declamationes, velut consilium, quod dedit Sullae (sat. I, 15) edendas curavit? En protinus fraudis suspicio adest. Fuerunt sane, qui satiram XV ex iuvenili aetate Juvenalis esse existimarent, ut auctor (Bauer) eius libelli, qui inscribitur: Kritische Bemerkungen über einige Nachrichten aus dem Leben Juvenals pag. 49 sqq. et Düntzerus l. l. pag. 278; sed has dubitationes tollere ausi non sunt.

His de caussis etiam peregrinationem „animi caussa καὶ τῆς ἱστορίας χάριν“ susceptam negandam esse puto. Sed etiam illud monendum est. Peregrinationes Aegyptiae sub Hadriani imperio vehementer demum vigere coeperunt, praecipue ex quo imperator ille, cuius insigne Aegypti studium erat*), cum Sabina uxore

*) Propter ipsum illud Aegypti studium vix credi potest Hadrianus puniendos homines illuc misisse, cf. Letronne, recherches sur l'Egypte pag. 247: „Il semblerait, qu'à cause de sa prédilection pour l'Egypte cet empereur aimait à y placer des gens, qu'il affectionnait ou qui avaient rempli auprès de sa personne des places de confiance.“

ipse eam adierat a. 130 (v. F. Gregorovius: Geschichte des Kaisers Hadrian und seiner Zeit pag. 40). Testimonio sunt Romanorum nomina in statua Memnonis inscripta, quorum sunt 27 ex tempore Hadriani (10 ante adventum, 17 post adventum eius in Aegyptum), ex Traiani autem tempore 1 et ex Domitiani 3 (cf. Letronne, la statue vocale de Memnon pag. 13). Negare equidem nolo Aegyptum inferiorem et Heptanomidem multo iam ante Hadrianum saepissime visitatam esse, sed ad extremam Aegypti partem, in Aegyptum superiorem ante Hadrianum perraro sine dubio iter facere solebant. Qua de caussa parum probabile est, Domitiano regnante iuvenem Juvenalem voluptarium illuc iter fecisse, sub Hadriano autem per senectutem non iam de longinquis eiusmodi peregrinationibus cogitare potuit.

Val. Franckii sententiam vv. 44—48 tanquam spurios e textu eicientis non iam meum est refellere, quam operam permulti susceperunt, praecipue Döllenius l. l. pag. 323 sqq; apud quem etiam ceteros, qui Franckio impugnaverunt, enumeratos invenies. Quod Francke eiciendos versus illos iudicavit, ideo maxime improbandum est, quod eiusmodi iudicii alia caussa non est, nisi ut exilium Aegyptium et peregrinationem Aegyptiam negare, neque tamen totum carmen Juvenali abiudicare liceat.

Abunde iam omnibus quaestionibus, quae ad exilium pertinent, satisfactum esse puto neque quidquam video restare, nisi ut de diverso satirarum Juvenalis genere perpauca subiungam. Exstiterunt enim qui, quod satirae 8—16 ab antecedentibus et argumentis et toto sermonis colore aliquantulum discrepant, id sic explicare vellent, ut Juvenalem exilio peracto prudentiorem redditum furori suo satirico haud mediocriter temperavisse dicerent. Libenter equidem largior, aliam esse priorum aliam posteriorum satirarum indolem, neque tamen intellego cur sit tali modo res expedienda. Nam simplicissime duas caussas immutati satirarum characteris invenio. Primum enim reputa, in prioribus illis satiris totam vitiorum sentinam exhaustam paene esse, ut pristinam consuetudinem, ex qua imagunculae imagunculam adiungere amaret, retinere Juvenalis non posset quin easdem res iterum atque tertium repeteret. Deinde non omittendum esse existimo, omnem poesim aliis temporibus aliam esse. Sub Traiano et Hadriano mutata erat aetas, ut et satirae mutata esset ratio, praesertim cum poeta ipse paullatim ad grandem imbecillioremque aetatem perveniret. Ita diversum posteriorum satirarum colorem nativa, non ascita ac contorta ratione intellegi posse censeo.
